



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

Pars Septima. De Traditis Bonis Tempore Corbeiensis Abbatis Godescalci
Ab Anno 980 Vsqve ad 900.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

TRADITIONVM CORBEIENSIVM

PARS SEPTIMA,

QVAE BONA RECENSET, QVIBVS ORNARVNT

ECCLESIAM CORBEIENSEM

DOMINI QVIDAM

TEMPORE

ABBATIS CORBEIENSIS

GODESCALCI

AB ANNO 890 VSQVE 900.

REGNANTE ATQVE IMPERANTE

ARNOLFO.

174

TRADITIONVM CORRECTIONVM

PARS SEPTIMA

QVAE HONORABILITATEM QVORVM ORNAMENTVM

ECCLIAE CORRECTIONVM

DOMINI QVODAM

TRADITVM

ABBATIS CORRECTIONVM

CODEX ALCI

IN ANNO DOMINI MDCCLXXII

REGNANTE ALDOVICO IMPERANTE

ANNO MDCCLXXII



§. 300.

tradidit adilger unam familiam in *beristorpe* (z) pro filio suo rethmanno.

§. 301.

(z) *Heristorpe* villam fuisse in pago *Norththuringi*, docet nos *Saracho* abbas. Cum De villa autem pagus *Norththuringi* fuerit in ducatu *Magdeburgico*, vti supra §. 20. vidimus, sine dubio vlllo *Heristorpe* villa in eodem ducatu olim exstitit. Putamus ergo, eandem villam esse *Harstorp* vicum desolatam haud procul ab vrbe *Magdeburgo*, quamvis et negare nolumus, intelligi posse vicum *Hergistorp* desolatam olim inter *Kochsted* et *Egelen* exstantem, de quo in historia *Græningensi* pluribus. Ad quam vero familiam spectauerit *Adilger* cum filio suo *Rethmanno*, id in obscuro laret. Fortassis ille ad *Albionis* posteritatem referendus est. At hoc perquirendum aliis relinquimus. Nec perhibere audemus, *Adilgerum* nostrum fuisse *Adalgerum* comitem in pago *Hlilgo*, quem diploma regis *Arnolfi*, supra §. 238. allatum, anno 889 meminit. Quamvis enim *Chronologia* opinioni illi non repugnet, nec inusitatum fuerit, vnum eundemque dominum bona hereditaria possedisse in hoc pago, in alio autem pago comitarum; arbitramur tamen, aliquid certi definiri non posse. Vixisse vero eodem tempore *Adilgerum* nostrum, quo *Adalgerus* comes vixit, patet e §. supra sequenti. Ex eo enim patescit, tradidisse quædam *Helmricum* ad reliquias sanctorum *Stephani*, *Viti* atque *Iustini*, e quo firmiter argumentamur, *Helmricum* eadem largitum esse post annum 891. E nostro enim chronico MS&to et coætaneo discimus, corpus *S. Iustini* martyris e *Francia* in *Saxoniam* translatum et in monasterio *Corbeia* collocatum esse VI. Kal. Aprilis anno DCCCXCI. Cum ergo quædam *S. Iustini* reliquiis tradita fuerint, sequitur, eadem esse donata post diem XXVII. Martii anno 891. Eo autem iam tempore tam *Carolus Crassus* depositus, quam *Bouo*, abbas *Corbeiensis*, mortuus erat. Et quidem, quod ad *Carolum* cæsarem attinet, incurreret ille in odium offensionemque imperii procerum, partim ob fædam pactionem initam cum *Nortmannis*, quibus regio *Sequanæ* permissa, quæ vsque in hodiernum diem *Nortmannia* appellatur, partim reiectione *Richardis* augustæ, cui miserat libellum repudii, partim depositione *Liutwardi* episcopi, quem leui suspitione consuetudinis cum *Augusta* notatum ex aula abiecerat, antea vero archicapellanum et summum moderatorem rerum omnium apud se habuerat. Hic in *Bauariam* ad *Arnolfum* se contulit, aliquid monstri alens. Cum hoc machinari studuit modum, quo cæsarem imperio priuaret. Quod et fa-

Ttt 3

Ab anno
890vique
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 301.

Tradidit helmricus pro coniuge sua liuduui ad reliquia s^cōrum stephani uiti atq; iustini (A) locum qui dicitur *alfrikefrod* cum omnibus appendiciis suis filiis aquis pratibus et agris et XIII familiis pro se suisq; omnibus et ad ecclesiam illius loci locum qui dicitur *bodonrod* tradidit ut esset sub manu illius presbyteri cum II familiis insuper et unam familiam suilem testes thiadricus guntharius funthari thiatmarus geiu bernhardus geiu euuruini uila hoacacina fredericus uolcmarus cristin thiadricus bodo erdega siherd alfricus alfdaguf fredemund iheri adalgerus.

§. 302.

Etum est. Nam cum *Carolus* anno 887 mense Nouembri in villa *Triburia* conuentum populi procerumque conuocasset, Franci, Saxones, Thuringi, Bauari et Alamanni ab eo descuerunt, atque *Arnolfum*, filium *Carolomanni*, vltro in regnum vocarunt, subitoque ad hunc certatim transierunt ita, vt triduo elapso ne vnus quidem esset, qui Carolo saltem officia humanitatis impenderet, Rheginone et Annalibus R. Francorum p. 61. seq. aliisque testibus. Ita imperator, post *Carolus Magnum* inter omnes Francorum reges summus et maximae auctoritatis ac potentiae, omnibus regnis et bonis exutus ad tantam tenuitatem fuit reductus, vt, panis quoque egens, ab *Arnolfo* iam rege stipendia miserabiliter exigeret. Regnauit ergo *Arnolfus* ab anno 887 vsque ad annum 899, quo exeunte ad VI. id. Decemb. obiit. Ipsi filius eius *Hudouicus* in regno successit, Chronico nostro MS^o et coetaneo teste. Quod autem ad abbatem *Bouonem* spectat, mortuus ille fuit, eodem Chronico teste, anno 890, eiusque in locum ordinatus *Godescalcus*. Hic anno 900 vel depositus est vel vltro resignauit dignitatem. (Neutrum enim pro certo dicere possumus.) *Bouo II* tunc electus fuit. Quilibet ergo facile perspiciet, nobis commutandam esse consignationem annorum, ad marginem appositam.

De villa
Alfrikes-
rode et
Bodenro-
de in pa-
go Gud-
dinge.

(A) Villam *Alfrikesrode* aequae ac villam *Bodenrode* deprehendimus positam in pago *Guddinge* a Sarachone in suo Registro Bonorum et Prouentuum Abbatiae Corbeiensis. Hunc pagum circa oppidum *Eltze* existisse, supra asseruimus, rati, eundem vsque ad *Haleram* fluium pertinuisse. *Alfrikesrode* est procul dubio vicus *Alserode*, quem olim et adhuc anno 1409 domini de *Dudingem* tenere in feudo ab ecclesia Corbeiensis, vt latius dicturi sumus in *Clientela Corbeiensis*. Hic autem vicus nullus erit alius, nisi *Alserode*, in Principatu Calenbergico non procul ab oppido *Eldagsen* situs, a quo haud procul abest locus *Bockerode*, quem per villam *Bodenrode* intelligi et indicari, omnino arbitramur. Memoratu inter haec dignum censemus, eadem in regione existisse villas ab *Alfrico* et *Bodone* quodam appellatas. Ex *Bodonrode* esse tandem factum *Bockerode*, nullus non perspiciet. Non inepte ex eo colligere quis posset, nomen *Bucko*, *Backo*, *Bodo* et *Bodiko* vnum idemque nomen fuisse. In gente *Widikindi Magni* quosdam *Alfricos* inuenimus, et in gente ducis *Brunonis Bodones*. *Brunonem* et *Widekindum* ex vno semine procreatos esse, asseruimus, et verisimillime inter progenitores eorum plures eis, quos habemus compertos, *Alfrici*, *Bodones*, *Buckones* seu *Bodikones* fuere, quemadmodum in hoc paragrapho *Alfricus* et *Bodo* inter testes apparent. *Bodiko* ergo, dux *Saxonum*, non esse videtur fictio recentiorum, vt vir quidam illustris arbitratus est. *Helmricum* retulimus supra p. 174 inter progenitores nobilium dominorum, de *Altofago*, dictorum, et hos a *Brunone Angariorum* duce deduximus. Fortassis *Liudwi*, vxor *Helmrici*, filia erat cuiusdam domini, ex sanguine *Widekindi Magni* orti, cuius posteros in eadem regione bona possedisse hereditaria, passim haec Traditiones nos docent. Hoc modo potuit dominus, e gente *Brunoniana* ortus, bona tenere circa oppidum *Eldagsen*. Verum enim vero statuat quisque de hisce, quae maxime volent. Coniecturas nostras pro enuntiationibus, firmiter insistentibus talo, animus nunquam fuit venditare.

(B) In

§. 302.

Tradidit bernhardus pro patre suo uichardo et matre sua ueldrud unam familiam in *assapa* et quidquid habuit illic et aliam in *billugesbusen* (B) et duo mancipia hrien et hathumer.

et gubernante Corbeiam Godescalco.

§. 303.

Tradidit *billung* pro fratre suo *brunbarde* unam familiam in *sasbemesbus* (C) et XXX. iugera.

§. 304.

(B) In nostro Registro sequuntur hæc verba, *in Assapa et in Billugesbusen in pago Logne continentur quatuor familie cum tribus mansis*. In quibus verbis dubium relinquitur, an villa *Assapa* ad pagum *Logne* quoque pertinuerit. Id si ita esset, uti perhibere quis posset, intelligere vellemus locum *Espel* seu *Espold* in præfectura *Uslar* intra principatum *Göttingensem*. Quia autem vicus quidam *Espel*, qui in documentis nostris appellatur *Aspe*, spectauit ad dynastiam *Defenberg*, dubitamus, an hic, an ille vicus sit intelligendus, cum certum sit, progenitores *Northeimensium* comitum in pago *Hessi* Saxonico etiam bona quædam possedisse. *Billugesbusen* vero citra controuersiam ad pagum *Logne* pertinuit. Non alius vicus indicatur, nisi *Billjesbusen* in principatu *Göttingensi* intra dynastiam *Hardenberg* situs, in qua etiam flumen quoddam dictum *die Espel* exstat. Quidquid autem huius rei sit, siue intelligatur *Espel* in principatu *Göttingensi*, siue *Espel* in dynastia *Defenberg* in episcopatu *Paderbornensi*, certum tamen est, *Bernhardum* ad progenitores *Northeimensium* et *Dasseliensium* comitum spectasse, id quod ex villa *Billugesbusen*, in pago *Logne* posita, omnino apparet. Hinc etiam supra §. 104. not. (1) cum huic stirpi adscripsimus, atque in eo nos nequam errasse putamus. De eius patre *Wichardo* quæ significauimus, hic sunt conferenda.

(C) *Sasbemesbus* villa erat, Registro nostro testante, in pago *Bardengo*, quem in Principatu *Luneburgico* quondam exstitisse eruditorum negat nullus. Censemus ergo intelligi vicum *Solsbusen*, in præfectura *Winsen* ad fluium dictum *die Luhe*, in *Luneburgico* Principatu situm. Quis igitur alius esse poterit *Billungus* noster, nisi *Billung* pater celebratissimi *Saxonie* ducis *Herimanni*, quem omnes in ducatu *Luneburgico* bona hereditaria possedisse profitentur. Arbitramur autem, *Billungum* eadem bona hæc tradidisse pro fratre suo *Brunbarde*, cum hic sub abbate nostro *Godescalco* monasterium *Corbeienſe* intraret, Deo in habitu monachico militaturus, uti membranæ nostræ ostendunt. Cumque idem *Brunbardus* vitam cum morte commutaret, alter eius frater *Siboda*, qui appellatur filius *Amalungi*, pro anima eius rursus quædam in Principatu *Luneburgico* dedit, uti infra videbimus. Quæ omnia tam plana et perspicua sunt, ut nemo sanæ mentis negare possit, sermonem hic esse de patre et patruis *Saxonie* ducis *Herimanni*. Quantum itaque debent *Billungani* domini *Corbeiensibus* nostris! Hi enim soli illis æternitatem immortalitatemque dederunt. Neque his dictis chronologia repugnat. Cum enim nobilissimus noster *Brunbardus*, relictis omni hereditate, pompa et deliciis mundi, asperiores sibi eligeret vitam, et cultum Dei omnibus blandimentis orbis terrarum præferret, domi rerum abundans, procul dubio adhuc vigeat iuuenilibus annis. Atque ex eo fit palam, etiam *Billungum* nostrum eo tempore adhuc ætatis flore viruisse. Cum itaque eius filius natus minimus, dux *Saxonie* *Herimannus*, obierit anno 973, nemo non videt, nostrum *Billungum*, qui circa finem seculi IX. circiter habebat annum ætatis XVII, *Herimanni* patrem non esse non potuisse. Cumque *Billungus* anno 967 animam creatori reddiderit, Chronico nostro cœtaneo teste, habuerit ille eo tempore circiter annum ætatis LXXXIV necessum est.

(D) Villa

Ab anno
890vsque
900. re-
gnante
Arnolfo

§. 304.

Tradidit folchardus pro filio suo folchardo unam familiam in *Steyn-
bem* (D) et XXXX iugera.

§. 305.

Tradidit herdeg pro proximo suo hangbert unam familiam in *thiad-
winigthorpe* (E) et XXXX iugera et in *hrorleuessen* (F) et in *eseresbus*
unum mansum et XXX iugera.

§. 306.

Tradidit borchard duas familias in *thologon* (G) pro se et pro uxore
sua iugera LX.

§. 307.

De villa
Steyn-
hem in
pago
Logne.

(D) Villa *Steynbem* fuit, nostro Registro testante, sita in *pago Logne*, qui reperiebat-
ur in principatu Göttingensi. Intelligimus ergo, designari *Stein* locum inter
Nörthen et Göttingam oppida ad flumen dictum *die Leine*, ubi quondam mo-
nasterium in honorem Deiparæ virginis pro monachis ord. S. Benedicti fuit ex-
structum. Cumque post annum MCVIII. nullum vestigium deprehendamus,
abbatiam Corbeiensem in eodem loco *Steynbem* bona possedisse, probabile redditur,
abbatem Corbeiensem bona sua in eodem loco monachis in *Steina*, utpote
fratribus, tradidisse. Interim negare non libet, *Folkhardum* inter progenitores
comitum de Lutterberg esse referendum, ut et supra fecimus, a quibus, vel si
maius, a Northemensibus, inter quos, ut inter Pleffenes, nomen *Godescalci*
sepius fuit repetitum, et nobiles domini de Pleffe probabiliter originem habuere.
de quibus in *Clientela Corbeienfi* pluribus.

De villa
Thiad-
winig-
thorpe
in pago
Almun-
ga.

(E) *Thiadwinigthorpe* villam fuisse, in *pago Almunga* sitam, docet nos abbas noster
Saracho, quem pagum existisse in episcopatu Paderbornensi didicimus supra.
Villa autem *Thiadwinigthorpe*, hodie desolata, probabilissime eadem est, quæ in
litteris quibusdam appellatur *Tiudorpe* et *Tudorpe*, olim ad dynastiam Wevels-
burg intra dioccesin Paderbornensem relata.

De villa
Hrorle-
uessen et
Eseres-
bus
in pago
Hueti-
go.

(F) *Hrorleuessen* et *Eseresbus* tribuuntur a Sarachone abbate *pago Huetigo*, quem
olim in comitatibus Sualenbergico et Pyrmontano fuisse, sæpissime et ad nause-
am usque inculcauimus. *Hrorleuessen* itaque procul dubio est *Roleffen*, olim ad
castrum Stoppelberg pertinens, castrum, quod quondam existit inter Endorp
et Ruensieck (non Rudensieck, ut volunt *Origin. Pyrmont.* p. 36) in comitatu
Sualenbergico, cuius rudera ego ipse anno 1723 mense Decembri inspexi. Ad
illud olim quoque spectarunt Grevenborg, Oldenborg, Scheverlingen, Hag-
dorn, Bredenhop (non Bruhenhop), Summerfellen, Brakelsieck, Tienhufen
atque *Eversen*. Hic vltimus vicus procul dubio nostra villa *Eseresbus* est. Ar-
cem *Stoppelbergam* cum omnibus ad eam pertinentibus bonis vendidisse anno
1350 Agnetem, viduam Borchardi comitis de Sualenberg, episcopo Paderbor-
nensi, perhibet Nicolaus Schatenius in *Annal. Paderb.* P. II. p. 324; quo au-
tem iure, id dicemus in *Clientela Corbeienfi*. Illud interim commemorandum
erit, nos optimo iure *Herdegum* inter progenitores Sualenbergensium comitum
retulisse. Tam enim in *pago Almunga*, quam in *pago Huetigo*, in quibus Sual-
enbergenses bona sua hereditaria habuerunt, bona hereditaria possedit. Quis
vero fuerit *Hangbert*, an locer vel sororius eius, id mihi prorsus est incom-
pertum.

De villa
Tholo-
gon in
pago Su-
dergo.

(G) *Thologon* villa collocatur ab abbate nostro Sarachone in *pago Sudergo*, quem circa
metropolim episcopatus Monasteriensis fuisse, iam supra diximus. Putamus igitur,
intelligi locum *Telge* haud procul ab vrbe Monasterio, situm. Atque ex eo
coniectamus, *Borchardum* nostrum fuisse filium vel confanguineum comitis *Bur-
chardi*, cuius comitatus erat anno 865 in pago Dreini ad Luppian, testante di-
plomate

§. 307.

Tradidit thiadmarus pro filio suo uuichardo unam familiam in *hesschebirithi* (H) et II. iugera.

et gubernante Corbeiam Godescalco.

§. 308.

Tradidit Bertha II. familiam in *uerfithi* (I) et quidquid ibi habuit pro se et coniuge suo uualdred.

§. 309.

Tradidit thiadricus pro focru sua yde unam familiam in *kailredinghusen* (K)

§. 310.

plomate regis Hludouici. Videntur eius fratres fuisse Volmarus et Voluered, supra §. 299. a nobis memorati.

(H) Cum villa *Hesschebirithi* tribuatur pago *Logne* a diligentissimo nostro abbate in suo Registro, probabilissimum erit, illum significasse villam *Eseberode* in Münden præfectura principatus Göttingensis, quam villam probe discernas velim primo ab *Eseberode* in præfectura Weferling in principatu Halberstadeni, deinde ab *Eseberde* monasterio et vico, qui adquietit sub præfectura Steuerwald in episcopatu Hildesienfi, et denique ab *Esebrwege*, ad fluuium dictum die Werre in Landgrauiatu Hassie sito. Hæc vltima villa, vrbs dudum, in documentis nostris scribitur *Eskeneveg*. In ea Otto, dux Bauariorum et aduocatus Corbeienfi, aliquid iuris habuit. Ipsa tribuitur alicubi pago *Eischerfeld*. Sed, missis istis, arbitramur, *Thiatmarum* cum filio Wichardo progenitoribus Northeimensium comitum annumerandum esse, vti quoque supra §. 104. not. (1) diximus. Cum vero in supra dictis, in hoc et in seqq. §§. multi domini e familia Northeimensi prodeant, probabile nobis videtur, ipsum abbatem *Godescalcum*, quo Corbeiam gubernante bona illa ecclesie tradita sunt, ad eandem quoque stirpem spectasse. Quod eo facilius credimus, quia nomen *Godescalci* in eadem gente est crebrius, et fortasse ipsius *Thiatmari* I frater fuit noster *Godescalcus* abbas.

De villa Hesschebirithi in pago Logne.

(I) *Verfithi* villam collocat abbas noster in Registro suo *intra pagum Hlisgo*, quem circa urbem Osterodam fuisse supra vidimus. Intelligi ergo vicum *Vörste* haud procul ab oppido Osterode, censemus. Atque eapropter *Bertham* eandem fuisse matronam iudicamus, quæ infra §. 310 et 361 reperitur. Et fortassis illa nostri abbatis *Godescalci* soror fuit. Villa *Vörste* dominis duobus diuersæ stirpis generosissimis subest, posita in Principatu Grubenhagico.

De villa Verfithi in pago Hlisgo.

(K) *Hailredinghusen* villa exstitit, abbate Sarachone teste, *in marca Sturmetbi*, quam olim exstisse in ducatu Westfalie inter Sufatum et Geseke oppida, iam diximus supra §. 176. Si itaque villa *Hailredinghusen* desolata non est, villa in censum venit, quam Saracho abbas in fine Registri sui appellat *Herderinghusen*, atque ad marcam *Sturmetbi* refert. Hanc villam nos l. c. fuisse putauimus *Herdinghusen*, prope oppidum Geseke obuiam, in qua nobiles domini de Lippia bona quædam tenuerunt ex pacto feudi ab ecclesia Corbeienfi. In eadem villa comites, dicti de Lippia, bona feudalia quædam vicissim conferunt dominis de Hörde nec non in Stormede Eringerfeld et Schwartzzenraben. An autem intelligatur *Herdinghusen*, nec ne, ignoro. Negari tamen non poterit, *Thiadricum*, qui in villa *Hailredinghusen* (quæ etiam esse potuit vel *Heddinghusen* vel *Hillevshusen* vel *Herderingen*, qui sunt omnes in ducatu Westfalia reperiundi vici, vel *Helmringhusen* in dynastia Padberg) quædam tradidit, ad stemma Widikindeum pertinuisse, cum supra nullos alios, quam dominos e gente Widikindea, deprehendimus, qui in eadem regione bona hereditaria ampliora possederunt. Cum itaque *Thiadricus* noster e nobilissimo sanguine fuerit procreatus, vxor etiam eius e nulla alia, quam illustrissima familia procreata fuerit oportet, eo quod anti-

De villa Hailredinghusen in marca Sturmetbi.

V u u

quil-

Ab anno
890 vsque
900. re-
gnante
Arnolfo

§. 310.

Tradidit sicca pro matre sua bertha unam familiam in *suliggi* (L) L. iugera et aliam familiam in *neghenborne* (M) X. iugera in *getlitbi* (N) X. iurnales.

§. 311.

Tradidit uualica pro matre sua VIII. iugera in *theshus* (O).

§. 312.

quissimorum Saxonum filia nullis nisi paribus nupserunt, quemadmodum legibus eorum sancitum erat. Quodsi igitur *Thiadrici* nostri socrus appellatur *Ida*, in mentem venit *Ida* ducissa vxor *Ecberti* ducis ac mater *Hadwi*, *Beuonis*, *Warini*, *Cobbonis* ac *Luidolfi*, quæ vero, cum ipsa ante annum 866 iam mortua fuerit oportet; intelligi non videtur. Probabile enim non est, *Ida* ducissa generum XL. anno post mortem eius pro anima illius aliquid dare voluisse, quippe quæ putabatur sanctissima, atque idcirco hominum precibus vix indigens. Fortassis autem *Ida* ducissa neptem quandam habuit eius nomine insignitam, quæ nupsit *Thiadrico* nostro, quem filium *Thiadrici* II fuisse, ac sine liberis mortuum esse, coniecturamus, siquidem eius consanguinei post hæc in eadem regione sita bona hereditaria Corbeiensibus tradiderunt, vti post hæc annotare volupe erit.

De villa
Suliggi
in pago
Logne.

(L) *Suliggi* villam fuisse in pago *Logne*, refert noster abbas *Saracho*, atque intelligit procul dubio vicum *Soblingen*, situm sub præfectura *Usler* in principatu *Göttin-*geni, vbi nobiles domini de *Mansberg*, ad quos præterea in vico *Meinbren* ad *Wiseram* in Principatu *Wolfferbuttelen* splendidissimum palatium et alia iura spectant, nobile possident prædium. Est autem hæc villa *Suliggi* probe discernenda primo a *Sulegon* in *Entergowi*, quæ probabilissime est oppidum *Sulingen* in præfectura *Ehrenburg* haud procul a *Landesberg* ad *Wiseram* in comitatu *Hojano*, et deinde a *Sulineghe* seu *Söllingen* vico, intra Principatum *Wolffenbuttelen*sem, haud procul a *Schöningensium* oppido, posito.

De villa
Neghen-
borne in
pago *Suil-*
bergi.

(M) *Neghenborne* erat, Registro nostro teste, in pago *Suilbergi*. Indicatur vicus *Negenborn*, in Principatu *Grubenhagen* sub præfectura *Saltz der hellen* situs inter oppidum *Einbeck* et *Grene*, haud procul a fluuio *Leine*, probe discernendus a *Nighburni* villa, quæ ponitur in pago *Wikanauelde*, atque *Negenborn* alia, quæ vicus est in Principatu *Wolffenbuttel*, inter monasterium *Amelunxborn* et *Bevern* vicum obuius.

De villa
Getlitbi
in pago
Hlūigo.

(N) *Getlitbi* villa collocatur ab abbate *Sarachone* in pago *Hlūigo*. Indicatur indubie vicus *Gittelde* in præfectura *Stauffenburg* in *Wolfferbuttelen*si Principatu sub inspectione *Ahlshausen*. Has villas scilicet *Getlitbi*, *Negenborne*, et *Suliggi* si perpendimus, intelligemus, *Bertham*, pro qua bona in his villis traduntur, eandem esse feminam, quæ supra §. 308 in pago *Hlūigo* præterea quædam donauerat. Cumque eadem femina quædam largita sit tam in hoc, quam in *Suilbergi* et *Logne* pagis, nemo non videt, eandem *Bertham* fuisse ditissimam dominam. Quodsi autem iam supra §. 112 arbitrati sumus, coniugem *Bertha* nostræ fuisse fratrem *Folchardi* II, in eadem sententia adhuc persistimus. Ex bonis illis traditis conclusimus, *Bertham* nostram probabilissime e progenitoribus *Northeimensium* comitum fuisse ortam, et nupsisse viro, ad progenitores comitum de *Lutterberg* referendo. Hoc enim vel pronuntiandum, vel statuendum erit, comites de *Lutterberg* cum comitibus de *Northeim* et *Dassel* vnus eiusdemque fuisse originis. Hoc vero vltimum credimus pronuntiandum esse neminem. Si autem *Bertha* soror fuerit *Thiatmari* I, atque abbatis *Corbeiensis Godescalci*, a quo nepos eius ex fratre nomen suum acceperit, sequeretur ex eo, abbatis nostri *Godescalci* patrem fuisse *Bernbardum*. Et hoc nobis videtur probabilissimum, quia in sequentibus §§. deprehendimus, progenitores comitum *Northeimensium* munifice et large sua bona dedisse ecclesiæ *Corbeiensi*.

De villa
Theshus

(O) *Theshus* villa erat, Registro nostro testante, in pago *Hessi Saxonico*, quem ad fluuium

§. 312.

Tradidit cristin pro hiddone I. familiam in *balabornen* (P) et X. iuge-
ra et iterum tradidit in *balabornen* et in *nyanthorpe* (Q) quidquid ha-
buit.

et guber-
nante
Corbe-
iam
Gode-
scalco.

§. 313.

uim Dimolam repertum fuisse, probauimus supra §. 33. Intelligimus ergo, defi-
gnari vicum in Rhoden praefectura principatus Waldecensis positum, atque eam ob
causam dolemus, nomen matris *Walicæ* non additum fuisse in his traditionibus,
quia e donis videtur patere, *Walicam* stirpi Widikindeo fuisse innexam.

in pago
Hessi Sa-
xonico.

(P) *Balabornen* villa erat in pago *Patbergo* sita. Sic docuit Saracho abbas. Nullus
alius vicus videtur intelligi, quam *Balborn*, in episcopatu Paderbornensi locus.

De villa
Balahor-
nen in
pago Pa-
thergo.

(Q) *Nyanthorpe* villa ab abbate Sarachone tribuitur pago *Hessi Saxonico*. Procul du-
bio indicatur vicus *Neudorf*. Hic reperitur in Eilhausen praefectura Waldec-
ensis principatus, quem probe discernas velim a *Neudorf* loco, qui visitur in
eodem quidem principatu, at sub praefectura Landau. Porro autem iam supra
vidimus, familiam Brunonianam in eodem pago Hessi bona hereditaria posse-
disse. Credamus ergo et hoc loco, si libet, *Cristinum* et *Hiddonem* ad eandem
gentem spectasse, atque *Hiddoni* nomen inditum esse vel a patruo vel ab auo,
cuius auus maternus fuit *Hiddi*, pater ducis Ostfalorum Hessi, vti patet ex au-
tographo diplomate Caroli Magni, supra adducto. Probabile enim est, gentem
Brunonianam conseruare inuicem voluisse originem suam ab illo *Hiddi*, qui et
potentissimus et clarissimus dominus fuerit oportet. *Hessium* seu *Asig*, ducem
Ostfalorum, habuisse in pagis Derlingi, Norththuringi, Hardego, Saltgo, Fal-
hen, Florwitha et Guddinge bona sua hereditaria, iam supra vidimus. Eadem
bona possedisse quoque eius patrem *Hiddi*, nemo sanus negabit. Maximam er-
go et optimam Ostfaliae partem tenuisse *Hiddonem*, probabilissimum videtur.
Veritari itaque consentaneum est, *Grisonem* fratrem Carolomanni, Pipini et Bern-
harti, qui fratri Pipino regi Francorum subiectus esse noluit, et collecta manu
in Saxoniam anno 747 profugit, ad *Hiddonem* patrem ducis Ostfalorum Hessi
profugisse, atque ab eo auxilium contra fratrem petiuisse. Annales Rerum Fran-
corum, qui Eginhardo tribuuntur, indicare illud videntur, qui p. 145 referunt,
Grisonem collecto Saxonum exercitu super fluuio *Obacro*, in loco, qui dicitur *Horheim*,
confedisse, *Pipinum* autem cum exercitu Francorum per Thuringiam profectum con-
tra fratris dolo Saxoniam ingressum esse, et confedisse super fluuium *Missabam* in
loco, qui vocatur *Schaninge*. Quodli autem fluuius *Obacrus* est flumen dictum
die *Ocker*, locus *Horheim* erit vicus *Ohren* ad fluuium *Obacrum* haud procul
a castro desolato *Asseburgo*: *Missaba* die *Missau* amnis a *Warberga* *Esbecam* pe-
tens et flumen influens *Aue* non procul ab oppido *Schöningen*: et *Schaninge* vrbs
Schöningen in ducatu Brunsvicensi, tria millia distans a castro *Asseburgo*;
Hiddi vero bona sua hereditaria circa *Asseburgum* habuit: neminem fugit, *Hid-
donem* patrem ducis Ostfalorum Hessi bello illi interfuisse. Prælium autem in-
ter eos eo tempore commissum non est. Sed discesserunt ipsi ex pacitione pa-
cis reconciliata. Ex quo concludimus, *Hiddonem* nostrum iterum inter sese
conciassisse et coniunxisse *Pipinum* ac *Grisonem*. Maxima ergo eum auctoritatis
et gloriae dominum fuisse, hinc patet. Quamobrem stirpis Brunonianæ domini,
vtpote ex eius filia *Wictrud* procreati, prorsus memoriam eius inter se illibatam
conseruaturi fuisse videntur. Absonum igitur non erit statuere, ad gentem
Brunonianam spectasse *Cristinum* atque *Hiddonem*, eosque inter progenitores
marchionum orientalium extitisse, cum verisimillimum sit, caesares Saxonicos
maluisse data occasione consanguineos suos adoptare defensores limitum regni,
quam alios. Quamobrem habemus *Cristinum* ac *Hiddonem* nostros pro mar-
chionum orientalium factoribus, donec euidentissime comprobetur contrarium.

De villa
Nyan-
thorpe in
pago
Hessi Sa-
xonico.

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 313.

Tradidit icrbeth pro se et matre sua I. familiam X. iugera et III. iuge-
ra in *messintborpe* (R).

§. 314.

Tradidit helinborgh pro se in *radi* (S) II. mansos et XXX. iugera.

tradidit thiadmarus in *sivalanbus* (T) pro fratre suo hetelgero unam fa-
miliam.

§. 315.

De villa
Messin-
thorpe in
pago Bar-
dengo.

(R) *Messintborpe* villam fuisse in *pago Bardengo*, abbas noster Saracho refert in præstantissimo Registro Bonorum ecclesie sue. Cum igitur exlitterit pagus *Bardengo* in Principatu Luneburgico, probabilissimum erit, intelligi vicum *Masendorp*, sub præfectura Oldenstade eodem in ducatu situm. Quia autem in eodem pago Bardengo familia Billigana passim dominata est, hinc quaeritur: an *icrbeth* ad eam gentem relatus fuerit? Respondemus merito, ita nobis videri. Supra enim §. 303 vidimus, *Brunbardum* fratrem *Billingi* se adgregasse monasterio Corbeensi. Quodsi igitur ponimus, *icrbetham*, *Brunbardum* visendi gratia, accessisse Corbeiam, atque eadem occasione dedisse hæc bona monasterio nostro, inde omnino probabile redditur, *icrbetham* fuisse sororem *Billingi*, *Brunbardi* ac *Siboda*. Nec sane habebis, quæ huic sententiæ nostræ obmoliri seu opponere poteris. Dolemus ergo, quod nomen matris *icrbethæ* non expresserunt Corbeienses nostri. Id enim si factum esset, sciremus quoque, quænam Hermannii Saxonie ducis avia fuisset.

De villa
Radi in
pago Hei-
langa.

(S) Villam *Radi* deprehendimus positam ab abbate Sarachone in *pago Heilanga*. Quaeritur ergo, quanam in regione pagus ille olim inuentus sit, ut eo ipso sciamus, in quonam vico *Helinborgh* nostra duos mansos et XXX iugera tradiderit. Hoc fiet palam, si consideramus villas, quæ huic pago tribuuntur, quæque sunt *Widila*, *Walderfidi*, et *Kokerbiki*. Quas cum deprehendamus in Principatu Luneburgico iuxta terminos veteris marchionatus Brandenburgici, pagus ipse *Heilanga* in eadem regione existisse videtur. *Kokerbiki* enim est vel *Kakerbeck* in præfectura Knefebeck, vel *Kakerbeck* in præfectura Klötzen; *Walderfidi* est *Wederfel* in Principatu Luneburgico. In eadem regione præterea exstant *Bleckwedel*, *Marwedel*, *Langenwedel*, *Lingwedel*, et *Barwedel*. Vnde fit verisimillimum, villam *Radi* omnino esse *Rade* vicum, cuius ecclesia filia est ecclesie in Ohrdorf sub præfectura Knefebeck in Luneburgico Principatu. Putamus autem, hanc villam fuisse ipsum locum *Rade*, ad quem olim *Heinricus auceps*, cum Ungaris pugnaturus, castra metatus est. Cum enim ille, Chronico nostro MScto et coætaneo teste, Ungaros in pago *Belxa* (quem in Marchia veteri Brandenburgica existisse, nemo negare poterit) proftrauerit; probabilissimum erit, *Widikindum* nostrum *Annal.* p. 641. indicaturum fuisse, villam nostram *Radi* sitam esse in *pago Heilanga*, contiguo quippe pago *Belxa*. Non attendendum ergo erit id, quod recentiores historici de loco istius acerrimæ pugnae adferunt, circa *Merseburgum* urbem locum eundem fuisse, prædicantes. Colligimus autem e situ villæ nostræ *Radi*, *Helinborgham* ad stirpem Billinganam spectasse, atque eandem probabiliter *icrbethæ* ac *Brunbardi* sororem fuisse. Accedit, quod e tabula geneologica familiae Billiganæ patet, *Billingo* III sororem fuisse eodem nomine insignitam.

De villa
Sivalan-
bus in
pago Heff
Saxo-
nico.

(T) *Sivalanbus* erat, Registro nostro teste, posita in *pago Heff Saxonico* villa. Eadem ergo villa designatur, quæ infra §. 349. appellatur *Stualdesbus*, quippe quæ etiam l. c. ab abbate Sarachone tribuitur *pago Heff Saxonico*. Diu autem hanc villam nos anxios et sollicitos tenuisse, sincere fatemur. In toto enim illo tractu, in quo olim pagus Heff Saxonicus existit, vicum, cui similitudo quædam cum villa *Sivalanbus* intercesserit, expiscari non potuimus, donec amicus quidam per litteras certiores nos fecit de loco quodam *Sanbusen*, qui in dyna-
stia

§. 315.

Tradidit hordold pro filio suo godschalco II. mancipia in *erpesbus* et in *herfiti* (U) XXX. iugera.

et gubernante Corbeiam Godescalco.

§. 316.

Tradidit luthardus in *hanbrumen* (V) unam familiam pro filia sua herifuit.

§. 317.

stia Defenberg intra terras episcopatus Paderbornensis visitur. Hic probabilissime villa nostra *Siualanbus* erit. Agedum igitur, esto locus *Sanbusen* villa nostra *Siualanbus*. Temporis enim progressu fieri potuit, ut illud vocabulum sit contractius redditum, atque, omisis litteris ival, dictum sit *Sanbus* seu *Sanbusen*, quod in multis aliis villarum nominibus accidisse, supra vidimus. Inuenta ergo villa *Siualanbus* considerandum est porro, in eodem pago *Hessi* nullos, nisi dominos e Brunoniana stirpe ortos, bona hereditaria possedisse, paucis exceptis, quae quidam domini, e domo Widilindea procreati, in eadem regione habuerunt, quaeque probabilissime, ut iam supra diximus, in dotem acceperunt propter nuptias cum feminis, e gente Brunoniana natis. Nonne ergo iudicandum videretur, *Thiatmarum* cum fratre *Hetelgero* etiam ad eandem Brunonianam stirpem spectasse? Quis vero *Thiatmarus* ille alius esse poterit, nisi *Thiatmarus*, comes fidelissimus *Heinrico aucupi*, cuius consilio, ut supra vidimus, maxime usus in magnis amplisque negotiis, a *Thiatmaro*, semper et prompte susceptis et diligentissime confectis, quae promptitudo et fides ex alio fonte profluxisse non videntur, quam ex consanguinitate, quae *Thiatmaro* intercedebat cum *Heinrico*, quaeque fuit impulsus ille ad existimandum, fortunam suam fore cum fortuna *Heinrici aucupis* coniunctam. Atque hanc nostram sententiam probamus quoque verbis Dismari episcopi Merseb. qui Tom. I. Leibn. p. 326. appellat eos *affines Heinrici*, per quos *Heinricus auceps* filiam *Theodorici ac Reinildae sibi uxorem adsevit*. Cum itaque conciliator nuptiarum fuerit *Thiatmarus comes*, Vita Mathildis Reginae testante l. c. p. 194. sequitur etiam ex eo, *Thiatmarum* nostrum fuisse consanguineum celebratissimi regis *Heinrici*. Quam vero ratione et qua generis ratione *Thiatmarus* fuerit consanguineus *Heinrici*, id ostendimus supra §. 104. quo beneuolum lectorem ablegamus et remittimus.

- (U) *Erpesbus* et *Herfiti* villae collocantur ab abbate nostro Sarachone in pago *Logne*. De villis intelligimus ergo, significari vicum *Erpsen* in principatus Göttingensis dynastia Adelipsen, et locum *Harste*, vno milliari circiter distantem ab vrbe Göttinga. Eisdem autem villas probe discernas velim ab *Herste* et *Erbfen* locis, haud procul ab oppido Nihem in episcopatu Paderbornensi obuiis, quae erant in pago *Nithega*. Patet vero e situ villarum nostrarum, *Hordoldum* cum filio suo *Godescalco* ad progenitores Northheimensium comitum esse referendum, probabiliter allecctum ad haec bona tradenda per beneuolentiam erga consanguineum suum abbatem Corbeiensis Godescalcum.

- (V) *Hanbrunnen* villam fuisse in pago *Hardego*, docet nos abbas noster Saracho in Registro Bonorum Abb. Corb. Quæramus ergo, quinam intelligendus sit vicus. Multum enim nostra intererit nosse illum situm, siquidem is non parum faciet ad veram originem serenissimae domus *Anhaltinae* demonstrandam, de qua quidem iam supra §. 188. egimus. Huius vero villae l. c. mentionem inieciimus nullam. Diximus l. c. *Luthardum* et *Liutharium* vnum esse nomen, et *Luthardum*, propinquum *Beuonis comitis*, referendum videri ad *Anhaltinorum* Principum progenitores. Ex quo porro conclusimus, serenissimam familiam *Anhaltinam* affinitate esse coniunctam cum domo Brunoniana. Hoc confirmatur ex nostro §. 316. vnde discimus, *Luthardum* quendam possedisse bona hereditaria in pago *Hardego*. Quodsi igitur principis *Abbonis* posterius in eodem pago *Hardego* bona sua hereditaria habuerunt, inter illos vero nomen *Liutharii* saepius repetitum est, nemo propterea negabit, *Luthardum* nostrum ad eosdem quoque spectasse, nomenque *Luthardi* idem, ac nomen *Liutharius*, fuisse. Putamus enim,

Vuu 3

enim,

Ab anno
890vique
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 317.

Tradidit liuthariuf in *redenestorpe* (W) unam familiam pro filio suo uolcmaro.

§. 318.

Tradidit thiatmaruf pro filio suo uelut unam familiam in *hildiuwardesbus* (X) et XXXVIII. iugera.

§. 319.

enim, *Liutharium* nostrum eam ob causam appellari *Luthardum*, vt distingueretur a *Liuthario*, qui, testante §. sequenti, bona quaedam Corbeiensibus tradidit, in eodem pago *Hardego* sita. Quamobrem nos etiam supra §. 183. *Liutharium* ducem a *Liuthario I*, patre *Volcmari*, distinximus, atque sperauimus, eruditos in eo calculos suos nobis adiecturos esse. Hiscæ præmissis, pronuntiamus, in pago *Hardego*, in quo et fuit monasterium nostrum Gröninga, duos reperiri vicos, qui quandam habent similitudinem nominis cum villa *Hanbrunnen*. Vnus appellatur *Hetteborn* atque alter *Hakeborn*. Ille circiter distat a monasterio Gröningen iter vnus horæ; hic vero vnum milliare ab eo haud procul a saltu *Hakel*. In vtroque autem vico abbatia Corbeiensis quondam bona possedit. Censemus vero, vicum *Hetteborn* ea propter hic designatum non esse, quia appellatur ille in membranis nostris *Hetebrunnen*. Restat ergo vicus *Hakeborn*, quem in hoc loco indicari omnino, arbitramur. In villa *Hetebrunnen* Sifridus comes, fundador et autor monasterii Gröningensis, bona quaedam tradidit abbatiæ Corbeiensis. Atque eam ob causam querimus, qua ratione bona ista in pago *Hardego* in manus peruenerint Sifridi comitis, cum ex his traditionibus appareat, progenitores principum *Anhaltinorum* in eadem regione dominatos, Sifridumque a Geroldo nostro Franco procreatum esse. Putamus autem, nos hisce obiectionibus aliter mentem extricare non posse, quam respondendo, patrem Sifridi Gerulfum habuisse in matrimonio filiam cuiusdam domini e progenitoribus *Anhaltinorum* principum, quæ vel *Fritherici*, vel *Abbonis* vel *Liutharii I*. foror fuerit.

De villa
Redenestorpe in
pago Hardego.

(W) *Redenestorpe* villa erat in pago *Hardego*, testante nostro Registro B. et P. A. C. Procul dubio intelligitur vicus *Rodersdorf*, in principatu Halberstadiensi inter *Hedersleben* et *Wegeleben* vicos situs, vnum milliare distans a monasterio nostro Gröninga. Atque eam ob causam putamus, *Liutharium*, qui in eadem villa quaedam tradidit, inter progenitores *Walbecensium*, *Supplinburgicorum* et *Anhaltinorum* principum esse numerandum, siquidem nemo negare audebit, illos in eadem regione bona sua hereditaria tenuisse.

De villa
Hildiuwardesbus in
pago Hessi
Saxonico.

(X) *Hildiuwardesbus* villa tribuitur ab abbate nostro Sarachone pago *Hessi Saxonico*. Ex eo firmiter concludimus, nullum significari alium locum, nisi oppidum *Helmersbusen* in Landgraviatu *Hassie*, duo milliaria *Westfalica* (quæ optimo iure tria appellare poteris) distans a *Corbeia* nostra. Situm autem est illud oppidum sub castro *Krukenberg* desolato (cuius quondam rudera ipse inspexi) ad *Dimolam* quidem, sed non eo in loco, quo, *Leuckfeldio* perhibente, *Dimola* committitur *Visurgi*. *Dimola* influit ad nouam urbem, a fundatore suo *Carolo* seren. Landgr. *Hassie* dictam *Carlshaven*, *Visurgim*, a qua oppidum *Helmersbusen* distat iter vnus horæ. Constitutum est anno 998 in loco *Hildiuwardesbusen* ab *Ekkibardo* comite in fundo proprietatis suæ monasterium pro monachis O. S. *Benedicti*, quod *Otto III.* imperator tabulis publicis, alio tempore in lucem edendis, comprobauit. Vnde colligere liber, *Ekkibardum* istum nepotem fuisse *Ekkehardi*, filii *Luidolfi*, et consanguineum *Thiatmari* nostri, qui in eodem loco *Corbeiensis* abbatiæ quaedam tradidit. Cum ergo inter *Ekkibardum* et *Ekkibardum* vna tantum persona desit, putauimus, eandem fuisse *Bruningum*, cuius *Widekindus* noster meminit *Annal. L. II. p. 644.* vt supra §. 104. not. (n) vidimus. Statuimus autem, *Thiatmarum* illum fuisse eundem, qui testante §. 314. in dynastia *Defenberg* quaedam *Corbeiensibus* tradiderat, quemque proauum *Ekkibardi* fundato-

§. 319.

Tradidit abba pro filio suo asculf unam familiam in *gakeshus* et XXX. iugera (Y).

et gubernante Corbeiam Godescalco.

§. 320.

Tradidit folcberth XXX. iugera in *perderestorpe* (Z) pro patre suo thiadrico.

tra-

datoris monasterii *Helmwardeshufani*, factoremque marchionum orientalium fuisse, diximus. Inuenimus enim quendam e marchionibus orientalibus in monasterio *Helmwardeshufano*, utpote a consanguineis eius fundato, fuisse sepultum. Id vero verbis Annalista Saxonis p. 460 comprobamus sequentibus: *Hisce temporibus* (anno scilicet 1029) *mortuus est Thietmarus marchio, filius Geronis marchionis ex Athelheidbe marchionissa, sepultusque, ut putatur, est in monasterio, quod Helmwardeshufen dicitur. Filius huius fuit Odo marchio, qui sine filiis obiit. Pater vero eius (Thietmari), Gero, patrem habuit Thietmarum marchionem, et patrum Geronem Coloniensem archiepiscopum, a quibus fundatum est cœnobium Nuenburch iuxta Salam fluuium. Mater eius (Geronis marchionis) Suanebildis filia Hermanni ducis, soror Bernhardi, que post mortem viri sui nupsit Ekkibardo marchioni, filio Guntharii, genuitque illi Herimannum, Ekkibardum, Guntharium et Liutgardem.* Quibus e verbis concludimus, *Thietmarum* marchionem in eodem monasterio sepulturam non inuenturum fuisse, nisi illud consanguinei eius fundassent. Quæ omnia commouent nos, ut credamus, originem marchionum orientalium, a nobis ostensam, optimo niti fundamento, neque videmus, quid nostræ sententiæ obicere possis. Est autem istud cœnobium anno 1011 a Meinwero, episcopo Paderbornensi, consecratum, et imperialibus annumeratum, cessitque dudum potestati Hassorum. Iam præter rudera e tanta loci gloria nihil superest.

- (Y) *Gakeshus* villa in nostro Registro non reperitur. Nescimus ergo, quo loco ea De villa existerit. Probabile est, tempore abbatis Sarachonis abbatiam nostram bona in *Gakeshus* sita non amplius possedisse.
- (Z) *Perderestorpe* villa erat, teste nostro Registro, posita in pago *Tilithi*, qui pagus De villa cum fuerit ad Wiseram circa oppida Bodenwerder et Hamelen, procul dubio *Perderestorpe* intelligitur vicus *Perdorf* ad Wiseram haud procul a castro atque oppido *Polle* olim in mediotullio comitatus Euersteinensis, iam vero in Principatus Calenbergici præfectura *Polle* situs. Locus vulgo vocatur *Pegestorp*. Ecclesiastes habitabat in loco Hohe intra præfecturam Ottenstein et Principatum *Wolferbuttelen*-sem. In membranis nostris eadem villa appellatur ad annos 1358, 1375, 1461, 1494, *Perdestorpe*, 1541, 1565, *Perstorp*, 1568, *Pegestorpff*, 1594, *Perstdorf* et 1691. *Pessdorf*. Litteras Theodorici de Dalwig et abbatis Corbeienfis adiungere hisce momentis, haud erit ab instituto alienum. En illas.

Wy *Thyderych* van der gnade Godes, abbet des stichtes to *Corbeye* bekennet, unde betuget in dusem opene breue vor allen guden luden. de en sehet unde lesen horet. dat wy den houefchen manne *diderick Haken* hebben beleht. unde belenen en in dusem breue mit verhoue landes unde einer kofstede to *Perdestorpe* mit aller tobehoringhe. wo dat gelegen is. also. alse uns de vorledeghet sint van heren vrede-rike dem schultheten unde synen sœnen. funder de houefche vrowe vorgefcr. vrede-rikes vrowe des schultheten. den god gnade. de scolet lyftucht an dusem ver houen erst behalden. unde na er. fo scol de vorbenompte *dyderick Hake*. unde alle syne eruen. duse ver houe erflicken unde ewiglicken jummer besitten. ock scolle wy. unde use nakomelinge. duser houen unde er tobehoringe des fuluen *dyderiks*. unde al syner eruen rechte waret wesen. wor. unde wanne en des not is. unde se van uns unde usen nakomelingen des behouet. unde des to ener open-

Ab anno
890 usque
900 re-
gnante
Arnolfo

tradidit *alfricus* pro matre sua *bateburg* I. mansum et XXX. iugera in *bu-
dinueldun* (a).

§. 321.

Tradidit gheruuihc pro filio suo auone unam familiam in *daelkuf* (b)

§. 322.

tradidit feuerit pro se et pro coniuge sua cristina et pro filio suo bor-
chardo III. familia in *holtkuf* (c).

§. 323.

openbaren bekantnisse. so hebbe wy use grote Ingefelgel darup an
dusfen breu ghehanghen. de ghegeuen is na godes Bord. drittein hun-
dert in deme achte und viftigften Jare. des hilligen apostels sinte tho-
mas Daghe.

Sigillum vide in
Tab. V. num. 6.

Cum itaque villa *Perdereforpe* sit *Pesdorf* ad *Wiseram* sita, olim ad loca comi-
tatus *Euersteinensis* relata, nemo facile erit, qui infitietur, *Thiadricum* eiusque
filium *Folberthum*, qui in eodem vico quædam tradidit, ad progenitores *Euer-*
steinensium comitum spectasse.

De villa
*Budin-
ueldun*
in pago
*Pather-
go.*

(a) Villam *Badinueldun* fuisse in pago *Pathergo*, docet nos abbas noster *Saracho*.
Procul dubio igitur indicatur vicus *Bentselt*, in episcopatu *Paderbornensi* inter
Gesselen, *Dreckborg*, *Scharme* et *Heddinghusen* situs. Cum autem hæc sit re-
gio eadem, intra quam familia *Widikindea* olim bona hereditaria possedit, nos
optimo iure *Alfricum* ad eandem gentem retulisse, putamus, tum, quia is frater
appellatur *Wigberti* §. 256, tum, quod *Wigbertus* dicitur filius *Bardonis* §. 337.
Alfricus præterea fuit filius *Bardonis*, fatoris principum *Waldeccensium*, vti su-
pra §. 104. not. (u) diximus, vel potius coniectauimus.

De villa
Daelhus
in pago
*Hessi Sa-
xonico.*

(b) *Daelhus* villa ponitur ab abbate nostro *Sarachone* in pago *Hessi Saxonico*. Vide-
tur denotari vicus *Dalbusen*, in dynastia *Defenberg* in principatu *Paderbornensi*
situs. Cuiusnam vero vxor fuerit *Gherwibe*, an *Hetelgeri* §. 314. an *Efici* §. 350.
an *Liutberthi* §. 289. qui in eadem regione bona quædam tradiderunt, non pa-
ter e continent.

De villa
Holtus
in pago
*Wikana-
uelde.*

(c) In nostro Registro sequitur villa *Holtus* in pago *Wikanauelde*. Designatur *Holt-
busen* vicus haud procul ab *Eschershusen* oppidulo, in præfectura *Wickenfen*
in Principatu *Wolferbutteleni* obuius, iter vnius horæ distans a monasterio *A-
melunxborn*, qui appellatur *Holtzen am Rotbensteine*, et diuersus est a *Lurgen-
holdhusen* vico quondam contermino, iam desolato, nisi villa *Lürkenholzen* prope
Brunkensen in censum veniat. Ex hoc loci situ concludimus, *Seueritum* seu
Sifridum nostrum, qui in eadem villa has familias donauit, inter progenitores
Northeimensium et *Dasselienensium* comitum et *Homburgensium* dynastarum esse
referendum. Cum enim locus iste ne quidem iter dimidiæ horæ a castro deso-
lato *Homborg*, a quo nobiles dynastæ de *Homborg* appellati, sit situs, *Hom-
burgici* vero, *Dasselienenses* et *Northeimenses* Domini ex vno et communi stirpe
sint procreati, vti supra §. 104. not. (1) demonstrauius, non sine graui ratio-
ne *Sifridum* nostrum proauum *Otonis ducis Bauariæ* et comitis *de Northheim* dixi-
mus. Id infra clarius patebit ex argumentis compluribus adlatis.

(d) Villa

§. 323.

Tradidit siboda pro patre suo amelung (d) duas familias in *Silibem* et I. familiam in *uubetium*.

et guber-
nante
Corbe-
iam
Gode-
scalco.

§. 324.

Tradidit luidolfus (e) pro folgdago proximo suo unam familiam in *bouingthorpe* et XXX. iugera.

§. 325.

(d) Villa *Silibem* tribuitur pago *Lainga*, et villa *Whetium* pago *Bardenga* ab abbate nostro Sarachone in Registro. Vterque vero pagus olim praesto fuit in Lunenburgico Principatu. *Whetium* itaque erit vicus *Weten* in praepositura Amelickhufen. *Silibem* probabiliter est Selhov in tractu, *der amtroogtei*, Bergen. Quamvis enim nobis de hac vltima villa dubium quoddam superfit, negamus tamen, pagum *Lainga* esse pagum *Logne*, situm in principatu Göttingensi, vel pagum *Laingo* in Fria orientali olim obuuium, vel pagum *Loganacowe* in ditione Nassouica ad fluuium Lanam. Cum enim vnus dominus tam in pago *Bardenga*, quam in pago *Lainga*, quaedam Corbeiensibus tradiderit, pagus *Lainga* videtur contiguus fuisse pago *Bardenga*. In pago *Lainga* fuerunt *Salta* (Soltau), *Timberla* (Timerloh), *Ostenholt* (Osterholt), et *Bredanbikt* (Breitbeck). Quia autem in eadem regione celebris familia Billigana bona hereditaria habuit, *Amelungus* eiusque filius *Siboda*, quorum nomina in gente Billigana reperiuntur, ad eandem stirpem spectasse videntur. De quo momento genealogico iam supra et infra pluribus agendi fuit locus.

De villis
Silibem
in pago
Lainga et
Whe-
tium in
pago Bar-
denga.

(e) *Bouingthorpe* villa erat in pago *Nithega*, abbate Sarachone teste. Designatur vicus *Bokendorp*, situs inter Heinsen, Ereklen, Apenborg atque Aldenberge, et distans a castro Brunonisburgo iter vnus et dimidia hora. A quodam Bouone, Bodone seu Bodikone locum illum accepisse, ipsum villae nomen comprobatur. Cum igitur inter antiquos Saxonum duces quendam *Bodikonem* fuisse, iam supra asseruerimus; eandem sententiam quoque comprobare poterit villa nostra. Probabile enim videtur, hanc villam *Bouingthorpe* iam prius, quam eo tempore, quo eius meminere traditiones, in rerum natura fuisse. Et quamvis perhibere malles, eandem villam a *Beuone* seu *Bouone*, ducis Luidolfi fratre, esse coli captam, considerandum tamen erit, *Bouonem*, dicti *Bouonis* filium, non possedisse hanc villam, sed *Luidolfum*, cui probabilissime nomen inditum a patre *Luidolfo* duce, qui haud procul a nostra villa *Bouingthorpe* in villa *Bennenbusen* bona hereditaria habuit, vti supra §. 224 vidimus. Ex quo concludimus porro, *Luidolfum* nostrum filium fuisse *Luidolfi ducis*, vti et nomen et dona videntur comprobare. Adde, eandem villam anno 955 subsuisse ditioni imperatoris *Otonis*. Ex quo intelligimus primum, mortuo patre *Bouone* hanc villam ad *Bouonem* abbatem Corbeiensensem non peruenisse, siquidem alioquin abbas iste eandem villam ecclesiae suae tradidisset. Deinde libet significare, huius villae auctorem non fuisse *Bouonem I*, fratrem *Luidolfi ducis*. Denique animaduertimus, *Luidolfum* nostrum filium *Luidolfi ducis* statuendum esse, quo, vel eius filio, (fortassis Hogero) mortuis, eadem villa ad iura caesaris retrocessit, vti patet e sequentibus nondum editis litteris.

De villa
Bouing-
thorpe
in pago
Nithega.

In nomine sc̄ae et indiuiduae trinitatis otto diuina fauente clementia imperator augustus notum esse volumus omnibus fidelibus nostris tam presentibus quam futuris qualiter nos ob interuentum fratris n̄ri dilecti *brunonis* et uenerabilis abbatis *luidolfi* pro animae n̄rae patrisq; nostri *heinrici* remedio nec non pro incolumitate amantissimae matris nostrae *mabildae* et dilectissimae coniugis nostrae *adelheidis* imperatricis augustae filiiq; n̄ri carissimi *ottonis* quandam proprietatis n̄rae curtem *bouingthorpe* dictam in pago *nithega* in comitatu *luidolfi* aduocati sitam quam iure hereditario accepimus cum omnibus ad eam


XXX

per-

Ab anno
890 usque
900. re-
gnante
Arnolfo

pertinentibus mancipiis utriusque sexus areis agris pratis pascuis aquis aquarumque decursibus piscationibus siluis uini et inuis exitibus et redditibus questibus et inquirendis ad monasterium sanctorum martyrum stephani atque uiti quod corbeia nuncupatur in proprium donauimus ea uide licet ratione ut prefatus abbas suus, successores liberam deinde potestatem habeant eandem curtem *bodincthorpe* cum omnibus suis appendiciis tenere possidendi et commutandi uel quidquid sibi libuerit inde in usum ecclesie suae faciendi. et ut hec nostra imperialis munificentiae concessio per processura temporum curricula semper stabilis et inuulsa permaneat hanc cartam manu nostra subtus firmatam inde conscribi et anuli nostri impressione corroborari iussimus.

Signum domni
ottonis



magni et inuictissimi im-
peratoris augusti.

liudolfus cancellarius ad uicem bru-
nonis archicappellani recognoui et *fff*.

Sigillum uide in
Tab. VI. num. 1.

data VI. id. iunii anno dominice incarnationis DCCCCLXV. indictionis VIII. regni autem serenissimi imperatoris augusti ottonis XXX. actum conlonia in dei nomine feliciter amen.

Villam, quam interuentu huius diplomatis largitus est cæsar, putamus eandem fuisse ac eam, in qua *Luidolfus* iam antea Corbeiensibus quædam tradiderat. Quamuis enim illa appelletur *Bodincthorpe*, dubitationem tamen id, quæso, nemini adferat. Cum enim ea exstiterit in pago Nithega æque ac nostra, in eodem pago autem alius vicus *Bökendorp* non reperiatur, nemo non uidet, hanc villam esse eandem, quam in his traditionibus inuenimus. Dignissimum autem obseruatu censemus, cæsarem profiteri, se curtem eandem accepisse hereditario iure, ex quo concludimus, ad eius progenitores et consanguineos hanc villam quondam spectasse. Quis ergo negare poterit, *Luidolfum*, qui testante §. nostro in eadem curte quædam donauit, consanguineum fuisse imperatoris *Otonis*? Cum uero et eadem uilla abbati Corbeiensis *Luidolfo* primis mensibus regiminis sui sit donata, uerisimile quoque nobis uidetur, eundem abbatem *Luidolfum*, et consanguineum cæsaris, et nepotem *Luidolfi II.* fuisse, ad quem eadem curtis spectauerat. Probabile enim non uidetur, cæsarem abbati, uix electo et confirmato, tam insignem curtem donaturum fuisse, nisi abbas *Otonis* consanguineus fuisset, eandemque villam sub quadam iuris specie a cæsare petere potuisset. Cum ergo tempora permittant, ut statuamus, *Luidolfum* abbatem *Hogeri* aduocati Corbeiensis filium, et nepotem *Luidolfi II.* fuisse, credamus licet, *Luidolfum* abbatem nomen suum ab auo, ac proauo duce *Luidolfo* accepisse. *Luidolfus* uero aduocatus, qui anno 965 comitatum suum habuit in pago Nithega, probabilissime erit filius *Brunonis* et pronepos *Luidolfi ducis*, quem *Luidolfum* aduocatum et bona hereditaria in eadem regione possedisse, infra uidebimus. Hisce præmissis illud quoque addere uolupte erit, hanc villam *Bodincthorpe* succedentibus temporibus in beneficium esse datam quibusdam ministerialibus, qui ab hac uilla in membranis nostris appellantur de *Budikerthorp*, quibus extinctis accepere eandem nobiles domini de *Brakel*, uti approbant litteræ sequentes, quæ hic quoque prima uice in publicum prodeunt:

Wy

§. 325.

Tradidit billing pro se in *olenbus* (f) unam familiam et
XXX iugera.

et guber-
nante
Corbe-
iam Go-
descalco.

§. 326.

Wy her' *albrecht* un her *Zerman von Brakele* brodere unde rittere bekennet openbare in dessem breue dat wy von Ju leue here her *dider. von Dalewich* abbet des frigen stichtes to Coruege to lene entfangen hebbet *Bodekerdorpe Aldendorpe* dat *koninglau* den thegeden darouer myt aller flachte nut vogedige un gericht darouer un wy sint iuwe erue belende man van den guden vorgeser. un des stichtes to Coruege erue man. ok so gy uns seden vor der *Blankenowe*. do gy uns belenden un do wy ju dessen bref loweden to sendende wo gy *Temmen den greuen* hedden beleynt myt vyf houen dar en wille wy finer nicht an hinderen mit namen an den *vis* houen to *Bodekerdorpe*. des to ener mereren openbaren bekantnisse dat dyt war ys dat wy van dessen vorgeser. guden juwe un des stichtes man sint also voregescreuen is hebbe wy unse ingefegele laten hangen widliken an dessen bref datu an-

no dñi M. CCC. quinquagesimo primo in die Bonifacii.

Sigilla vide in Tab.
VI. sub num. 2. et 3.

Cum in sigillis istis appareat imago leonis, monendum erit, esse eum Euersteinensem leonem. Ortus enim esse nobiles dominos de Brakele ex Euersteinensibus comitibus, probatum dabimus in Corbeienſi Historia litteris æri incis. Illis autem dominis defunctis, anno 1403 vico *Bodekerdorpe* infeudatus est Iohan Spiegel van dem Lewenforde; quo, ut videtur, sine liberis mortuo, vicus noster dominis de Haddenberge iterum in feudum datus est, testantibus litteris sequentibus, quas in lucem emittimus:

Ek *Heydenrick van Haddenberge* bekenne opinbare in un myt dussem breue vor mek un myne rechte man eruen dat ek hebbe entfangen to rechtē man leyne van dem erwerdigen in God vader un heren hern *Arnde* abte des frigen stiftes to Corbey *Bodekerdorp* mit dem *Königlo* myt dem thegeden to *Aldendorp* un myt eynē houe gelegen to *Euerſſin* geheyten der Natezungen hof myt allen flachte nutten un to behorūgen ware de gelegen sijn bynnen un buten den dorpen in vogedye an holte in velde in water un in weyde un ek heydenrick vorg. en wil noch en schal anders neyne hern spreken edder kesen to dusen vorg. guden den mynē gnedigen herē hern *Arnde* abte vorg. un loue dyt vor mek un myne rechten man eruen by mynē hulden de ek mynē vorge. gnedigē hern gedan hebbe. stede un vaste to halden sunder argelift un hebbe dulses to vorder tuchnyſe un warheyt myn sygnet an dusen bref gehangē. Datu anno dñi M. CCCCXLIIII ipō die bti policarpi epī.

Extinctis vero dominis de Haddenberge, eundem vicum rursus accepere ab ecclesia Corbeienſi domini de Haxthausen.

- (f) Villa *Olenbus* erat, Sarachone abbate teste, in pago *Bardenga*, et procul dubio in De villa telligitur vicus *Olesen* in ducatu Luneburgico in præfectura Winſen ad flumen *Olenhus* dictum die Luhe. Nullum ergo fore speramus, qui dubitabit, *Billingum*, qui in eadem villa quædam largitus est, spectasse ad celebratissimam familiam *Billingan*, quippe quam dominatam esse in ducatu Luneburgico nemo ibit inficias.

Xxx 2

Cum

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 326.

Tradidit sifridus pro se et coniuge sua cristina et filio suo borchardo III familias unam in *bredanbeke* (g) alteram in *criepan* tertiam in *bittingabufen* et cum una quaque XXXVI iugera.

§. 327.

Tradidit thiathardus in *grimmulesbus* (h) VIII mancipia et XXXX iugera et II iurnales et quidquid habuit illic.

idem tradidit pro coniuge sua luithmod in *scerua* (i) et in *uuetium*

Cum igitur tempora permittant, ut statuamus, *Billigum* fuisse eundem Billigum, qui appellatur pater Herimanni, Saxoniae ducis, credimus, fore neminem, qui prohibebit, *Billigum* nostrum non fuisse Herimanni ducis patrem, qui accessisse videtur Corbeiam nostram visitandi gratia fratrem suum *Brunbardum* monachum eo tempore Corbeiensem.

De villis
Bredan-
beke,
Crie-
pan
et Bit-
tingabu-
fen in
pago Ti-
lithi.

(g) *Bredanbeke*, *Crie-pan* et *Bittingabufen* ab abbate nostro Sarachone tribuuntur pago *Tilithi*. Putamus ergo *Bredanbeke*, esse *Brencke*, cuius ecclesia spectat ad vicum *Harderode* in ducatu *Brunsvicensi* seu in dynastia *Homburgica* sub inspectione *Halle*; *Crie-pan*, *Krepe* in eodem dominio inter *Heise* et *Halle* vicos, et *Bittingabufen* *Besingen* in eadem dynastia sub inspectione *Halle*. Inter progenitores ergo nobilium dominorum de *Homborg* esse referendum *Sifridum*, nemo negare poterit, qui considerabit, nomen *Sifridi* in familia *Homburgica* fuisse vstratissimum, cumque infra §. 379 *Sigfridus* comes in dicta villa *Harderode* quaedam donat pro vxore sua *Weldrut*, e situ horum locorum concludimus, *Sifridum* nostrum fuisse patrem *Sigfridi* comitis, cumque villa *Nighunburni* in pago *Wikanauelde* vix iter vnus horæ a castro *Homburgico* haud procul a *Wickensen* et villa *Holthufen* distet, in qua *Severit* quaedam tradiderat, testante §. 322, putamus l. c. de *Sifrido* nostro sermonem esse, qui expressis verbis §. 357 appellatur filius *Sigiberti* seu *Sifridi*. Alium enim dominum non posse intelligi omnino censemus, quia nullo modo probabile videtur, alium quiuisset dominum bona hereditaria possidere in villis *Holthufen* et *Negenborn*, quam progenitorem dynastarum *Homburgicorum*, atque hoc e situ horum locorum euidentissime apparere arbitramur. Hoc stante, nullo afficimur terrore sententia viri cuiusdam eruditissimi, qui pronunciauit, in aëre piscari illos, qui nobiles dominos de *Homburg* ex *Northeimensibus* comitibus deducunt, æqualis quippe fere antiquitatis laude florentes. Superuacaneum enim nos habituros esse metum cogitauimus, cum ex his traditionibus didicerimus, eosdem dominos, qui in dynastia *Homburgica* bona hereditaria possedere, in comitatu *Northeimensi* eadem habuisse, nostrumque *Sifridum* appellari §. 352 patruum *Wichardi*, cuius progenitores tenuere in pagis *Tilithi*, *Wikanauelde* et *Logne* bona hereditaria, quemadmodum etiam idem *Sifridus* iisdem in pagis eadem tenuit, neque putamus, quempiam nobis obicere posse, nomina *Sifridi*, *Sigfridi*, *Severiti*, *Sywardi* atque *Sigiberti* esse nomina diuersa, neque inuicem confundenda. Habemus enim diplomata, in quibus *Sifridus* de *Homborg* filius *Hiddiconis*, etiam appellatur *Sigibertus* de *Homborg*.

De villa
Grimu-
leshus
in pago
Hessi Sa-
xonico.

(h) *Grimulesbus* erat in pago *Hessi Saxonico*, annotante Sarachone abbate in Registro B. et P. A. C. Absque dubio ergo intelligitur vicus *Grimelsen* ad *Dimolam*, iter vnus horæ circiter distans ab oppido *Warborg* in episcopatu *Paderbornensi*.

De villa
Scerua
in pago
Hessi Sa-
xonico.

(i) *Scerua* erat in eodem pago *Hessi*, eodem Sarachone teste, atque indicatur procul dubio vicus *Scherwe*, vno milliari distans ab oppidis *Peckelsen* et *Warborg* in eodem principatu *Paderbornensi*, cuius villæ iam supra sæpius mentionem iniicimus, quibus dictis addimus litteras *Hermanni* *Corbeienfis* abbatis ex originali accurate descriptas :

HeR-

uuetium (k) et in *rimbeke* (l) XV mancipia et IIII manfos et dimidium et quidquid illic habuit.

§. 328.

Tradidit gelo pro patruo suo bernhardo in *friduren* II manfos et in *legreke* (m) XX iugera et duas iurnales.

§. 329.

HeRmann^o dñi grā Corbeiēn. abbas. omnib⁹ hui⁹ pagine inspectori-
b⁹ salt. Notū esse cupim⁹ quod cum p^o necessitate n^{ra} et ecclie n^{re}
p^oposit⁹ et uent⁹ Corbeiēn. obligassent reddit⁹ officii sui in *scerven* p^o
centum et uiginti marcis. quarum ad n^{ros} us⁹ septuaginta. et ad us⁹
p^opti et conuent⁹ q^od^oginta deuenerunt. tandē uenim⁹ in eo. quod in
restaurum eorūde reddituum de officio *Wolcm⁹sen* recipiant reddit⁹
e^ouales hoc anno. et q^ocquid sup^o exc^ouerit eodem tam nobis quam
uentui ad p^ofati officii solutionē. Si ū frequenti in pascha septuaginta
marcas non soluerim⁹. tam p^oposit⁹ quā conuent⁹. de officio *wolcm⁹sen*.
p^ocipiant tam reddit⁹ de *Sceruen* quam reddit⁹ officii eiusdem. et quic-
quid sup^o excreuerit ad solutionem *scerven* nobis cedet in cōmuni. et
ita fiet deinceps donec *scerue* redimatur. Adiciim⁹ p^oterea de manfo
quem habet in pignore Thid⁹ric⁹ snauethal quod post suā solutionem
ad curiam *Wolcm⁹sen* reuert⁹. et ad fratrum p^obende solutionem. Te-
stes hui⁹ rei st. s^ofilarii ecclie. uidelicet Alb⁹ prior. Elqn⁹ p^op^os. Har-
dewig cam⁹. Themo iunior. Laici *Conrad⁹ de Amet.* et *Herbold⁹ fi-
li⁹ ei⁹.* *Rabanus de papenhē.* *Gerhard⁹ Hadik.* *Godefrid⁹ de Godelh.*
et alii scilicet *Herbord⁹ noue ecclie decan⁹.* *Alrad⁹ cū pede.* *Herman⁹
speigel.* *Anderag de thurflon* et alii plures. Acta sunt hec anno dñi
M. CC. XXX. III.

Sigillum uide in
Tab. VI. num. 4.

- (k) *Wetium* fuisse in pago *Hessi Saxonico*, docet nos abbas noster Saracho in Registro. De villa
Intelligimus ergo, denotari vicum *Weten* in principatu Waldeccensi eiusque præ-
fectura Rhoden obuium, duo milliaria circiter distantem ab vrbe Warborg, loco
episcopatus Paderbornensis. De villa
Wetium in pago
Hessi Sa-
xonico.
- (l) *Rinbeke* tribuitur pago *Hessi Saxonico* a Sarachone. Significatur *Rembeck* vicus,
ad Dimolam inter Scherwe et Warborg in principatu Paderbornensi uisendus. De villa
Quantum igitur æstimare licet e situ horum bonorum, putamus, *Thiathardum* in pago
fuisse genitum e stirpe Brunoniana, et probabiliter filium Wichmanni, qui in
eadem regione, et quidem in villa Scherwe, quædam Corbeiensibus tradiderat. De villa
Magnæ auctoritatis et gloriæ dominum fuisse eundem, concludimus e Chronico
nostro Corbeiensi MSpto, ex quo apparet, eum ætate supparem fuisse Billin-
go, cuius et hæ traditiones §. 325 mentionem iniecerant. Ipsum de monaste-
rio Corbeiensi bene meritum fuisse, quia Corbeienses eiusdem *Thiathardi* cum
insigni elogio meminere, in propatulo est. De villa
Rinbeke in pago
Hessi Sa-
xonico.
- (m) Villæ *Friduren* et *Legreke* fuerunt, nostro Registro teste, in pago *Agrotingun*,
quem in Emslandia circa urbem Meppen in episcopatu Monasteriensi existisse De villis
iam supra §. 202 demonstrauiimus. Procul dubio itaque est *Legreke* locus *Len-
gerke*, et *Friduren* locus *Freven* in comitatu Lingensi. Quantum itaque e situ
horum locorum colligere licet, arbitramur, *Gelonem* et *Bernbardum* inter proge-
nitores comitum Lingensium seu Tecklenburgicorum esse referendos, rati, *Gelo-
nem* nostrum diuersum fuisse a *Gelone*, qui quidem in eodem pago *Agrotingun*
quæ-

Ab anno
890 usque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 329.

Tradidit folcbert pro se et pro uxore sua gherberch et pro filiis suis maynuercro et thiadrico CL iugera et XIII mansos in *heuerscutte* (n) et in *dodonbus* III mansos et in *beuerbeke* C iugera et unam siluam.

§. 330.

quædam donauit, at pro anima fratris sui *Bernhardi*, testante §. 249. Vtunque se res habeat, siue sit Gelo vna, siue sint due personæ isti *Gelones*, e dictis tamen satis patet, *Bernbardum*, fratrem *Gelonis*, nomen accepisse a patruo suo *Bernhardo*, qui frater fuerit oportet *Cobbonis* comitis iunioris, et filius senioris *Cobbonis*, quem plerique credunt factorem extitisse comitum Tecklenburgicorum. De ipsis egimus supra §. 104.

De villis
Heuer-
scutte,
Beuer-
beke et
Dodon-
bus in pa-
gis Hessi
Saxonico
et Tili-
thi.

(n) Præstantissimum aggredimur paragraphum, quippe qui multum facit ad veram originem Euersteinensium comitum inuestigandam. Ditissimum fuisse dominum *Folcbertum*, e bonis traditis patet. Quis enim poterit 1390 iugera cum silua elargiri, nisi opulentissimus dynasta? Inter nobilissimos ergo Saxonie proceres seu adelingos referendum esse *Folcbertum* nostrum, nemo negare poterit. Fuisse autem cum Saxonice originis, situs villarum, in quibus eadem bona tradidit, comprobatur. *Heuerscutte* et *Beuerbeke* loca erant, in pago Hessi Saxonico sita. Prior villa est *Everschulte*, ad Dimolam adiacens in Landgrauiaru Hassiæ; posterior autem erat in eodem Landgrauiaru Hassiaco ad siluam Reinhardswald olim sita inter Kikillahusun et Wulfredeskifukun; *Dodonbus* vero locus tribuitur ab abbate nostro Sarachone pago *Tilithi*. Hic cum fuerit ad Wiferam circa oppida Bodenwerder et Hamelen conspicuus, villa *Dodonbus* citra controuersiam erit *Doensen*, cuius ecclesia spectat ad Halle vicum, iter vnus horæ a Bodenwerdera oppido situm, et duarum horarum spatio circiter distantem a castro Polle, quondam sede quorundam celebratissimorum comitum Euersteinensium. Cum itaque *Folcbertus* noster bona hereditaria habuerit in medietate comitatus Euersteinensis, nemo poterit ire inficias, eundem inter progenitores Euersteinensium comitum esse referendum. Cum autem et idem bona tenuerit in pago Hessi Saxonico, probabilissimum erit, descendisse eum a *Brunone*, celebratissimo Angariorum duce. Credere enim nullo modo possumus, immo absolum creditu nobis videtur, nostros Euersteinenses comites ex comitibus Euersteinensibus, in Suevia olim illustribus, originem et cognomen traxisse, et castrum Euerstein denotare *apri petram* ex Eber seu Ever apro, quod originationis momentum inter doctas nugæ iam supra retulimus §. 104. not. (n). Cum enim, iam tempore Hludouici pii *Euerbardum* quendam in vicinia monasterii Corbeiensis habitasse, deprehendimus, cui Corbeiensis ecclesias scilicet eas vtendas concesserunt, vt §. 22. vidimus, verisimillimum erit, eum vel eius patrem cognominem castro Euersteinensi nomen præbuisse. Fabula enim est Ioannis Lezneri, affirmantis, comitem Euersteinensem Brunonem anno 903 in terras Brunswicenses venisse, et secum nobiles de Beuern adduxisse. Id Leznerus ex suo, vt solet, ingenio finxit. Ex his enim traditionibus patet, alios dominos anno 903 terras Euersteinensium possedisse atque Brunonem istum. Neque Antonio Schnackenburgo, qui *Annales Corbeiensis*, Tomo II. S. R. B. Leibnitii reperiundos, seculo XV composuit, simpliciter credendum est, loquenti ad an. 908 de quodam comite Euersteinensi. Sæpius enim Antonium istum errore labi deprehendimus, multa ex suo addentem ingenio, atque in anais diplomatum crebro errantem, non quidem, vt speramus, ex malitia, sed ex negligentia supina. Ipse enim diplomata, veteresque *Annales Corbeiensis* et *Chronica*, in Archivo nostro exstantia, euoluere noluit, peregrinis Chronographis in rebus Corbeiensibus plus tribuens quam domesticis, quod minime facere debuisset scripturus *Chronicon* de rebus Corbeiensibus. Perseueramus itaque adhuc in nostra sententia, originem scilicet traxisse Euersteinenses comites a duce *Brunone*, cuius nisi filius fuit dictus *Euerbardus*, nepos tamen sine dubio fuit *Euerbardus*, frater Thiadrici, satoris Euersteinensium comitum et patris *Folcberti*, qui, teste hoc paragrapho, largissima bona donauit Corbeiensibus.

(o) Adal-

§. 330.

Tradidit adalric pro fratre suo hofed unam familiam in *bernhallesbus* (o) et XXX iugera.

et gubernante Corbeiam Godefrido.

§. 331.

Tradidit helmdag in *suuehtbaran* et in *baran* (p) III iurnales et LX iugera et V mancipia.

§. 332.

Tradidit helmdag pro se unam familiam in *biriuuwardesbus* (q) et L iugera.

tradidit helmeric pro se suisque debitoribus in *cotun* (r) CXX iugera et V iurnales.

§. 333.

- (o) *Adalricus* eiusque frater *Hofed* verisimiliter ad stirpem Brunonianam spectarunt. Bona enim, quæ tradidere, sita olim erant in pago Hessi, Registro nostro restante. Dubitamus vero, an villa *Bernhallesbus* fuerit *Borkbusen* haud procul ab oppido Borcholte in episcopatu Paderbornensi, an *Bernichbusen* vicus, in quo olim domini de Dumella a Corbeienſi ecclesia curiam habebant ex lege feudi. His successere exſtinctis domini de Kalenberge. Pendemus anime, an *Bernichbusen* designetur, ad castrum Malsburg spectans vicus in Landgraviatu Hassiæ. Hæc villa probe discernendæ sunt a vico *Bernichbusen* in principatu Corbeienſi, hodie dicto *Brenckbusen*, in quo abbatia virginum sacrarum reperitur olim Cisterciensis, hodie vero ordinis S. Benedicti. Iam inter posteros S. Meinulfi in tabula nostra Brunonianæ stirpis inuenimus quendam *Hofedum*, filium *Eilberti* et fratrem *Hadoldi* ac *Brunwardi*, qui in eadem regione, in qua *Adalricus* bona hæc tradidit, quædam donarunt. Probabile ergo nobis videtur, *Adalricum* nostrum cum fratre *Hofedo* fuisse filium *Hofedi* et fratrem *Hatboldi*. Cum igitur nomen *Adalrici* contraheretur in *Aſig*, *Eſic* et *Hessi*, fieri potuit, ut *Hofedus* filio cuidam suo nomen *Adalrici* imposuerit, a consanguineo quodam suo peturum, qui nomen suum habebat a fratre *Wichtrudæ*, S. Meinulfi matris, qui erat *Aſig* seu dux Ostfalorum *Adalricus*. Quanquam enim in hoc tantum indulgeamus coniecturis nostris, indicandum tamen id esse censuimus, quo aliis occasionem daremus, in veritatem rei vterius inquirendi.
- (p) *Suehtbaran* et *Haran* tribuuntur a Sarachone pago *Almunga*. Qui cum exſtiterit in Paderbornensi episcopatu ad flumen dictum *die Alme*, procul dubio erit *Suehtbaran* locus *Schwafere* in dominio Wevelsburg, quæ villa probe discernenda a Schwaffern in præfectura Ehrenburg in comitatu Hoiano. *Haran* est *Haren*, locus in eadem dynastia Wevelsburg haud procul a Bodeke monasterio in principatu Paderbornensi situs, quam villam probe discernas velim ab *Haren* loco in episcopatu Osnabrugensi.
- (q) *Hiriwardesbus* erat, Registro nostro teste, in pago *Itergowæ*. Sine dubio denotatur *Hertzhausen* locus in dominio Iter in Waldeccensi principatu. Situs harum villarum ergo nobis persuader, ut credamus, *Helmdagum* spectasse ad familiam Widikindeam, cuius vinculum cum eadem stirpe genealogicum inuenies in tabula genealogica Widikindea §. 104. not. (†††).
- (r) *Cotun* villam fuisse in pago *Auga*, docet nos abbas Saracho in suo præstantissimo Registro. Iam autem in eodem tractu seu diocesi Corbeienſi nullus hodie eiusdem nominis vicus amplius reperitur. Ergo villa necessario defolata subesse debet, quæ quondam exſtitit inter Furſtenau et Lebendorf, membranis nostris restantibus, in quibus eadem villa appellatur *Kotten*. Nomen hæc villa accepisse videtur a monte in tota illa regione editissimo dicto *Köterberg*, vel mons ille a villa nostra, quæ iter duarum horarum abſuit a celebratissimo castro Brunonis-

De villa Bernhallesbus in pago Hessi.

De villis Swehtbaran et Haran in pago Almunga.

De villa Hiriwardesbus in pago Itergowæ.

De villa Cotun in pago Auga.

Ab anno
890vique
900. re-
gnante
Arnolfo

§. 333.

Tradidit folcdaguf in *hodebefbus* (f) pro patre suo hillibodon LXXII iugera et II iurnalef.

§. 334.

Tradidit ova pro fe et pro fratre suo bernhardo quidquid habuerunt in *meynberghun* (t).

§. 335.

Tradidit drogo in *uppus* et in *linifi* (u) XIII agrof.

§. 336.

Tradidit folcred pro fratre suo alfrico unam familiam in *berneftorpe* (v) et XXX iugera.

§. 337.

Tradidit *uuciberb* unam familiam pro fe in *foanrode* (w) et XXXV iugera et II manf. pro patre suo *bardone*.

§. 338.

nonisburgo, adpellationem traxit. Ex quo concludimus, *Helmericum* nostrum Brunonianæ stirpi esse adnumerandum.

De villa
Hode-
hesbus.

(f) *Hodebesbus* villa in nostro non reperitur Registro. Nescimus ergo, quinam intelligatur designari vicus. Id est, quod valde dolemus. Ex situ enim huius villæ coniectura duci posset, ad quam familiam *Folcdagus* eiusque pater *Hillibodon* spectasset. Ex quo momento porro coniectari posset, quis *Luidolfi* ille proximus fuerit, pro quo idem quædam donauit, restante §. 324, in pago Nithega in villa Bouingthorpe. Hinc porro conicere possemus, cuiusnam stirpis fuerit vxor illius *Luidolfi*. Interim reperiuntur loca huc facientia passim e. g. *Heddenbusen* in præfectura Hardesen, *Hetgersbusen* in præfectura Harste in principatu Göttingensi, *Heddingbusen* in dynastia Canstein, *Heddingbusen* haud procul ab oppido Geseke, *Heddingbusen* non procul a vico Delbrugge, *Hodincbusen* in dynastia Buren, et *Huddingen* in præfectura Wildungen in principatu Waldecensî. Fortassis intelligitur *Heddenbusen* in præfectura Hardesen. *Folcdagus* itaque fortassis fuit filius Hildeboldi, nati ex Thiadhardo e stirpe Northheimensî, de quo videas §. 104. not. (1) velim.

De villa
Meyn-
berghun.

(t) *Meynberghun* rursus non inuenitur in nostri abbatis Registro. Nescimus ergo, vbinam locorum eadem villa exstiterit.

De villis
Uppus et
Linifi.

(u) Desiderantur in Registro nostro villæ *Uppus* et *Linifi*. Tacente ergo membrana, tacemus et nos. Quamvis enim abbatia nostra in vico *Linsen*, cuius ecclesia filia est ecclesie in Halle in Principatu Brunsvicensi, et in vico *Uppen* in præfectura Gronau in Hildesheimensî episcopatu bona quædam habuerit, et perhibere possemus, *Dragonem* nostrum spectasse ad progenitores nobilium dominorum de Escherde, nihil tamen horum definire audemus. Esto iudicium penes lectorem.

De villa
Berne-
storpæ
in pago
Itergo-
we.

(v) *Berneftorpe* collocatur ab abbate Sarachone in pago *Itergowæ*. Intelligimus ergo, designari vicum *Berndorf* in Eisenberg præfectura principatus Waldecensî. *Alfricum* itaque et *Folcredum* ad stemma Widikindeum propter bona et nomen retulimus supra §. 104. not. (†††) cum negari non possit, gentem Widikindeam in eodem pago amplissima possedisse prædia.

De villa
Foanrode
in pago
Merit-
hem.

(w) *Foanrode* villam tribuit Saracho pago *Merfhem*, quem in ducatu Calenbergico exstiterisse, iam supra §. 231. docuimus, vbi præterea vidimus, Beuonis comitis filii

§. 338.

Tradidit Sifrid unam familiam pro filio suo tiadulfo et XXXVI iugera in *pithili* (x).

et gubernante Corbeiam Godescalco.

§. 339.

fili Luidolfi ducis, uxorem sita in eadem villa bona quædam tradidisse, quæ procul dubio nostri *Wicberti* consanguinea atque amita fuit. Cum itaque familia Widikindea in pago *Mershem* amplissima possederit prædia, nomenque *Wicberti* in eadem stirpe in usu fuerit, procul dubio *Wicberto* nostro nomen inditum est, ab auo suo *Wicberto* petitum. Cumque etiam l. c. dixerimus, *Barдонem* comitem anno 870. comitatum suum habuisse in pago *Mershem* villamque *Foanrode* sub eius fuisse iurisdictione, absurdus sit, qui neget, eundem fuisse *Barдонem*, pro quo hæc bona in eadem villa *Foanrode* ab eius filio *Wicberto* traduntur.

- (x) Abbas noster Saracho refert in Registro B. et P. A. C. villam *Pithili* fuisse in pago *De villa Pithili in Guddingo*. Hunc pagum extitisse in præfecturis Lauenstein, Wintzenburg et Poppenburg in episcopatu Hildesheimensi, atque in quadam parte principatus Calenbergensis, per præfecturam Lauenstein, circa oppida Gronau, Elrze et El-dagelsen, diximus iam supra. In eadem vero regione inuenimus nullum vicum, qui maiorem similitudinem haberet cum villa nostra, quam vicum *Beitlen*, olim in præfectura Wintzenburg, hodie autem in præfectura Gronau obuium. Hic vicus ex nostra sententia est villa *Pithili*. Iam quis *Sifridus* fuerit, qui in eadem villa *Pithili* XXXVI iugera donauit, ex nobis querere videris. Iam respondimus supra §. 104. in nota subiuncta (1), rati, *Sifridum* illum inter progenitores Northeimensium comitum esse referendum. Quamuis enim id præfacte defendere non audeamus, nostrum *Sifridum* fuisse filium *Tbiatmari* et patrem comitis *Sigefridi*, satoris Northeimensium comitum, nomen tamen eius prodere videtur, ad nullam aliam stirpem eundem spectasse, nisi ad illam, cuius sator a nobis l. c. constitutus est *Wichardus*, cuius ipse probabilissime nepos, atque itaque frater *Wegani*, *Burchardi*, ac *Tbiatmari* fuit. Filius eius *Tiadulfus* esse videtur *Tbiadulfus*, qui, testante §. 370, pro sorore sua *Aellan* in villa *Nathireshus* in pago *Suilbergi*, quæ vel villa *Nannexen* seu *Naënsen* in præfectura *Grene* in ducatu *Brunswicensi*, vel alia desolata est, quædam tradidit. Nec diuersus ille *Tbiadulfus* videtur fuisse a *Tiadulfo*, qui in pagi *Suilbergi* villa *Ewardeshus*, id est, in *Ikershusen* intra terras comitatus *Dassel* quædam largitus est, testante §. 383. Cum vero iam dictus *Wegani* habuerit filium *Godescalcum*, ut docet §. 295, *Maynbardus* quoque filius fuit eiusdem *Wegani*. *Maynbardus* enim et *Godescalcus* fratres appellantur §. 355, vbi quædam donarunt sita ad villam *Hikiæshus* in pago *Fleithi*. Villa isthæc nobis videtur esse vicus *Hafckenhus* in præfectura *Wintzenburg*. Idem autem *Maynbardus* nobis persuadet, ut etiam *Maynbardum*, qui in eodem pago *Fleithi* in villa *Wetfelde*, id est, in *Westfelde* loco præfecturæ *Wintzenburg* mansum vnum ecclesiæ nostræ tradidit, testante §. 107, ad hanc familiam referamus. Iste idem videtur *Maynbardus* fuisse, qui inter testes apparuit, cum quædam traderentur in villis *Cogharden* atque *Hementorpe* §. 194 et 226, siue ille *Bennonis*, siue *Wirici* comitis, siue *Meinboldi* filius fuerit. Horum pater fuisse videtur *Stewart*, qui in villa *Hariberneßun* in eodem pago *Fleithi* quædam donauit testante §. 2. Eadem autem villa *Harbarnsen* sita est in episcopatus *Hildesienfis* præfectura *Wintzenburg*, cuius ecclesia filia est ecclesia in *Woltershusen*. Huius *Stewarti* nepotes si fuerunt *Wichardus*, *Reginboldus*, *Theodbardus* atque *Adalboldus*, ut id nobis probabilissimum esse videtur; *Stewartum* istum et nobilissimum et ditissimum dominum fuisse oportet, quia illi inter coheredes ducis *Ostfalorum Helli* numerantur §. 104 et 121, cuius heredes et nepotes fuisse nobilissimos Saxonie principes nemo negare audebit. Sit ergo *Stewartus* ille sator celebratissimorum comitum, dictorum de *Norheim* et *Dassel*, antiquissimorumque possessorum comitatus *Wintzenburgici*. Videtur *Stewartus* iste idem fuisse, qui inter testes apparuit, cum in pagis *Guddingo* et *Wikanauelde* quædam traderentur, testantibus §§. 7, 58, et 78. *Sibertus* autem, qui §. 121. inter coheredes ducis *Ostfalorum Helli* memo-

Yyy

Ab anno
890 usque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 339.

Tradidit uyndele pro se unam familiam in *algrimsen* (y)
tradidit thiatmarus pro se et coniuge sua reynburg in *grastgingesbus* (z)
quidquid habuit in pratif agrif filuif et XXXX. mans. IIII. familiaf.

tra-

memoratur, frater fuisse videtur *Wichardi*. Et sane nomen Siwari seu Sigefridi, in genealogia horum comitum crebro repetitum, nobis persuadere poterit, eorundem comitum factorem fuisse quendam Siwartum seu Sigefridum, pro quo *Siwartum* istum tam diu reputamus, donec euidentissime comprobetur contrarium.

De villa
Algrim-
sen in
pago Fal-
hen,

(y) Villam *Algrimsen* tribuit Saracho abbas *pago Falhen*. Putamus ergo significari vicum *Algermissen*, locum episcopatus Hildesienfis, in quo ad praeposituram cathedralis spectant maior et minor *Algermissen*, quorum vnus erit villa nostra. Infra §. 381. memoratur villa *Alegremishus*. Eam ad pagum Falhen Saracho refert. Hanc ab illa diuersam non fuisse, arbitramur. Quo bona ad hanc villam sita et tradita fuerint, indicabimus in *Historia Corbeienfi*: Hoc interim annotasse volupe erit, quod tam *Wyndele*, quam *Hildired* videantur sorores fuisse *Brunbardi* nostri. Hic frater erat *Billingi* atque eo tempore monachus monasterii abbatiae Corbeienfis. Si itaque liceat statuere, has duas feminas alloquendi gratia *Brunbardum* inuississe Corbeiam, atque ea occasione dedisse quaedam, sita ad vicum *Algermissen*, ecclesiae nostrae, absurdum nemo pronunciet creditu, *Wyndelam* et *Hildiredam* fuisse *Billingi*, qui fuit pater ducis *Hermanni*, sorores. Firmant sane hanc sententiam bona, quae haec feminae tradiderunt abbatiae nostrae. Confer supra §§. 303. 313. 314. et 325.

De villa
Grastginges-
bus in pago
Tilithi,

(z) Situm villae *Grastgingesbus*, quam in *pago Tilithi* fuisse, Saracho noster docet, diu nesciuimus. Quamuis enim nobis non incognitus fuerit vicus *Grave* ad *Wiseram* inter *Polle* et *Bodenwerder*, seu, vt accuratius loquamur, inter *Brewer* et *Pestorf* situs, cogitauimus tamen, differentiam inter *Grave* et *Grastgingesbus* maiorem esse, quam vt in vnam massam loca confari possint. Interim nullus locus hodie in toto illo tractu reperitur, qui meliorem similitudinem cum villa nostra habet, quam vicus *Grave*, qui cum ad abbatiam Corbeiensem spectauerit, probabilissime videtur designari. Eiusdem villae mentionem iniecerunt tabulae publicae comitum de *Euerstein*, in quibus illi monachis in *Amelungsborn* decimam in agri regione, villam nostram *Grave* cingentem, assignarunt, quas e membrana addere iniucundum non erit:

Ludeuicus senior Alberti et Ludeuicus filii eius comites de Euerstein uniuersis pntem litteram inspecturis cupim⁹ esse notum quod pro remedio bone memorie dñe *Adele* comitisse nec non animarum nra⁹um assignam⁹ ecclie in *Amelungesborne* decimam sitam in monte per uiam lapideam de *grawen* usq. *bredenuorde* quam in pnti pcipient ppetuo possidendam. pterea molendinum in *dolensstene* ualens annuatim XII moltra filiginis et IIII. solidos cui⁹ pensionem frater *Ludouicus* tribus annis tollat qb⁹ expletis ecclia usq. ad sumam XXX marcarum reponet que mittentur *hospitali ad transmarinas partes*. uel in subsidiu dabuntur alicui fideli aut fidelib⁹ qui uoluerint transfretare. prout in uita sua *Adela* ordinauit. his debite absolutis tam decimas quam redit⁹ molendini ad consolatione fratrum ppetim cedent. ut eis annuatim exinde feruiatur. hanc donationem ego *Ludeuic⁹ senior* pro salute uxoris nre nos quoq. *Alberti* et *Ludeuic⁹* pro matre nra de consensu fratrum nrorum *otonis* et *Bernhardi* pro quib⁹ certa prestabim⁹ warandiam cum omnib⁹ coheredib⁹ nris cum sigillorum nrorum titulo confirmam⁹ sub testimonio toti⁹ uent⁹ de *Amelungesborne* et omnium

castellanorum de *Euerstein*. datum anno dñi M. CC. LX. VI.

Hodie

tradidit uuyrinhardus pro filio suo ennan I familiam in *bikibus* (A) et XXXX iugera,

§. 340. gubernante Corbeiam Godeiscalco.

Hodie vicus ille ditioni Principatus Wolferbuttelani eiusque praefectura Ottenstein subest. Non procul ab eo, scilicet inter Pestorf et *Grave* in eadem Visurgis ripa, mola visitur diaboli, vulgariter dicta *die Teufels-Mühle*. Eam fingunt per diabolum interuentu aquae, tympanum circumagentis atque e saxo profluentis praeurpro, produxisse. In altera Visurgis ripa et e regione villae nostrae *Grave* conspicitur mons dictus *der Ganser* - seu *Ginsberg*, in quo per foramen itur in latam cavernam. Hic olim habitasse latronem, referunt, de cuius fortitudine multa praedicant mirabilia. Videtur nomen illius montis, sub quo villa *Grave* sita est, esse corruptum, montemque olim dictum fuisse *der Gingesberg*. Sit itaque *Grave* ad Wiseram villa *Graßgingesbur*. At instabis, circa vicum *Grave* vix inueniri 2400 iugera, siquidem tota regio adiecta est montosa. Sed salua res erit, simul ac considerabis, dedisse *Thiatmarum* XL mansos, pratis agris et siluis comprehensas. Iam quaeritur, ad quamnam familiam sit referendus *Thiatmarus* noster, qui XL mansos, in ea regione fitos, tradidit. Ditißimum et nobilissimum dominum fuisse illum, e donis patet. Inter progenitores Euersteinsium comitum eundem referre vellemus, dummodo vnicus inter eos esset comes, qui *Thiatmarus* fuerit appellatus. Quemadmodum vero e diplomatibus nostris patet, Euersteinsenses comites in villa Perdestorp quidem aliquid iuris possedisse, eosdemque bona in villa *Grave* ab ecclesia tenuisse Corbeiensis; ita perhibere placet, *Thiatmarum* fuisse proneporem *Haddonis*, fratris *Echerti ducis*. *Thiatmarum* hunc supra §. 104. not. (c) liberatorem Heinrici aueupis, in vrbe Grona ad Wiseram, vix iter duarum horarum a villa nostra distante, obfessi, ac patrem *Cristini marchionis* diximus, putantes, marchiones orientales fuisse originis stirpis Brunonianaë. Atque, vt quaedam addamus ad illam sententiam confirmandam, in mentem venit *Teutmar*, qui, testante §. 11, in villa Waritbeke in pago Auga quaedam tradidit, et propter hæc dona inferendus videtur Brunonianaë genti. Ipse probabilissime frater *Haddonis* fuit. Notatu autem dignum censemus, illum appellari *Teutmarum*. Hoc fuisse genuinum nomen *Thiatmarorum* nostrorum videtur. *Teuto* quis fuerit, iam constat inter eruditos, parens scilicet communis Celto-Scytharum. Ad hos etiam Germani nostri referuntur, Teutones ab eo dicti. Hinc tot nomina, a Teutone ducta, in gentem Germanorum et Saxonum nostrorum profuxerunt, vt *Thiadricus*, *Thiodger*, *Teutmar*, *Teodward*, *Theoding*, *Teodo*, *Tiadulf*, *Teto*, *Thiadgift*, *Teto*, *Tado*, *Todi*, *Teodwal*, *Tiado*, *Teudulf*, *Tiadman*, *Thiadheri*, *Thiadbern*, *Tydsö*, *Theidger*, *Tetta*, *Tuide*, *Thiadrid*, *Tatto*, *Thiadbold*, *Thiadbert*, *Thiadwercus*, *Teodgot*, *Thiadwert*, *Thiadred*, *Thiadtag*, *Thiadradus*, *Thiathard* etc. vt scilicet originem suam a patre communi *Teutone* inter se conferuerent. Multa hic expromere, si ratio instituti permitteret, valeremus. Ablegamus vero Lectorem beneuolum ad *Historiam* nostram Corbeiensis, in qua Lib. I. cap. 1. §. 12. seqq. de Teutone pluribus egimus, nec alios exscriptimus.

- (A) Villam *Bikibus* olim exstitisse in pago *Tilitbi*, iam supra e nostro Registro monuimus §. 105. not. (y). Indicauimus simul, eandem villam fuisse conspicuam haud procul a vico Ohren, iter vnus horae distante ab vrbe Hameloa ad Wiseram in electoratu Hannoverano seu Principatu Calenbergico. Diuersa hæc villa videtur fuisse a villa *Bikibusun*, quam tradidit *Ranwardus* ecclesiae Paderbornensi, testante Vita Meinwerici T. I. S. R. B. Leibnit. p. 534 his verbis: *Quidam vir Ranward cum laudatione fratrum suorum Volckieres et Ekkionis quoddam prædium in Bikibusun ecclesia tradidit, et ob hoc illis episcopus equum vnum, II. boues, IIII. solidos denariorum in presentia Amalungi, Gerberti, Ekkike comitum donauit.* Hæc villa *Bikibusun* fortasse est Benckhufen in Eisenberg praefectura Waldeccensis principatus. Videtur *Ranwardus* ad stemma Widikindeum referendus propter dicta ad §. 275. not. (P) *Wyrinhardus* vero, qui in villa nostra *Bikibus* quaedam largitus est, ad progenitores comitum de Ertelsen seu Artzen spectasse videtur.

Yyy 2

Adjun-

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 340.

Tradidit godufrith pro filio suo meyneri in *herfiti* (B) quiddid
habuit illic.

§. 341.

Adiungemus hifce de villa nostra duas ineditas chartas, quas accepimus e mani-
bus Generosissimorum dominorum de Haken. En vnam.

Den erfamen Hern Greuen *Ludolve* uñ greuen *Lodwighe van Wun-
storppe* enbeden wy *olrik* uñ *Iohan* brodere geheten *van Hoyen* ofen wil-
ligen denft to allen tyden. Umme den tegenden to *beckhusen* den wy
van iuk mit aller schlacht un nut hebbet to lene, bidde wy iuk denft-
liken, dat gi mit deme fulven tegheden belenen to enen rechten eruen
lene *diederike haken* uñ sine rechten eruen. wanne gy dat ghedan heb-
bet, fo fende wy iuk denfuluen tegheden op by twen iuwen mannen,
also recht is, un don des deñen ene rechte vorticht in duffeme breue,
de belegelt is mit ofen ingefegelen uñ wy *Herman van Vrenke* uñ *die-
derik van Borye*, bekennet, dat wy dor beden willen *olrikes* uñ *Iohan-
nes van Hoyen* vorbenomet duffes boden find in duffeme breue, de be-
segelt is mit ofen ingefegelen, wanne gi *diederike Haken* en sine rech-
ten eruen belehnet hebben mit deme tegeden to *Bekhusen*, also vor-
screven is, fo bringe wy one iuk op, als recht is, in duffeme breue
under olen ingefegelen. uñ is gefchen na godes bord afen Herrn drit-
tynhundert jar in deme nyn, uñ feftigften jare des andern fondaghes
na paschen wanne man finghet *mifericordias dñi*.

(L.S.) (L.S.) (LS) (L.S.)

En alteram

Eck Jost Lorber bekenne unde betuge openbar in duffem breue vor
my unde myne echten man eruen dat ick van den duchtigen knapen
Herman und *Ernfte Haken* Gefeddern mynen leuen iunchern duffe na
beschreueue guder in den dorpe to *Barkensen* unde dar by gelegnen to
lehne entfangen hebbe alfe tom erften eynen Hoff to *Barkensen* unde
eine wyfch unde twe houen landes dar to behorent dar achte morgen
lyggen beneden dem heyftei in dem *Ofteruelde* unde scheten uppe de
Oftergrunt unde teyn morgen tyggen an dem *Oderberge* by den bor-
nefrung unde negen morgen an den *bekefer velde* by der Slut eyken
tor tyd fo geheten an dem *beymkeberge* ver stuck van ver morgen vor
dem kruytzwege, teyn stuck an dem *steynbusche* feuen stücke und
twolf stücke de scheten uppe dat *bekefer brock*, unde wil lee eren
unde forderen unde truwe unde holt wesen alfe dat eynen belehnen-
den manne tegen synen lehn heren to donde behort duffen to be-
kannisse hebbe ick myn Ingefegel witliken an duffen breff gehangen
na gebort Cristi unfers Herrn duffent ver hundred in dem ver unde ne-
gentigften Jare am donnersdage na judica.

(L.S.)

De villa
Herfiti
in pago
Logne.

(B) Villa *Herfiti* erat, Registro nostro restante, sita in pago *Logne*. Intelligo vicum
Harfte intra principatum Göttingensem, in quo anno 1715, cum menfe octobri
deflexissem de via, Huxaria Göttingam proficiscens, a domino præfecto Rem-
mighausen multa eaque egregia benevolentie suæ signa accepisse, me iuuenem,
etiam post fata eius grata recordor mente.

(C) Hi-

§. 341.

Tradidit richardus pro filio suo adaluardo in *hiristi* (C) I familiam et XXXVI iugera.

et gubernante Corbeiam Godofcalco.

§. 342.

Tradidit hiddi pro filio suo luidolfo unam familiam in *hiddikestorpe* (D) et L iugera.

§. 343.

Tradidit Luidolf pro proximo suo herdeg I familiam in *billikeffelle* (E) et XXXVI iugera.

tra-

- (C) *Hiristi* villam abbas noster collocat in pago *Nithega*. Designatur vicus *Herste*, De villa *Hiristi* in pago *Nithega*.
in episcopatu Paderbornensi situs inter acidulas Schmechtanas, Alhusen, Erbsen, Erwitte, Istrup et Gerden.
- (D) *Hiddikestorpe* villam tribuit Saracho abbas pago *Mersbhem*, quem in Principatu Calenbergico ad Hannoveram existisse, iam vidimus supra. Procul dubio intelligitur *Hiddestorpe* vicus, vno milliari ab vrbe Hannovera situs in Rodenberge praefectura principatus Calenbergensis, qui an ab *Hiddi* nostro, vel ab eius patruo, vel, vt altius ascendamus, ab huius auo materno *Hiddi*, patre ducis Ostfalorum Hessi, nomen acceperit, id in medio nunc quidem relinquitur. In principatu Calenbergico sane bona possedisse ducem Ostfalorum Hessi, a patre eius *Hiddi* ad eum verisimiliter deuoluta, didicimus supra ex §. 108. Ex eo conclusimus, *Hiddonem* nostrum inter posteros illius *Hiddonis* esse numerandum, eundemque filium fuisse *Luidolfi* ducis Saxoniae. Ad aliam familiam *Hiddi* nosfer referri haud poterit. Si enim illud perhibere velles, obstabit *Bruno* episcopus Verdenfis, qui, cum in eadem villa *Hiddestorpe* bona alodialia possederit, ac appelletur *consanguineus Hermannii ducis*, vt iam supra §. 104. not. (n) diximus, indubie ad gentem Brunonianam seu Ludolfinam *Hiddi* spectauit, et propter bona possessa fuisse *Hiddonis* nostri pronepos videtur. Fuisse autem *Hiddonem* nostrum filium ducis *Luidolfi*, ex eius filio *Luidolfo* apparet, cui probabilissime ab auo duce nomen fuerat inditum. *Hiddonis* soror appellatur *Alvered*, *Bardoni* Widikindeo nupta. Inter nobilissimos proceres Saxoniae *Hiddonem* esse numerandum, exinde perspicitur. Interim in manibus nostris quoddam est authenticum diploma, acceptum cum multis aliis diplomatis, quorum partem quandam infra in Addendis nunc demum in lucem protrahimus, e manibus eruditissimi domini B. H. Morgensterni, I. V. Licent. ac Serenissimi ducis Brunuicenf. et Luneburgenf. Commissarii prouincialis et praefecti, fautoris carissimi, quod adiungemus, ne pereat. Quamuis enim illud breue sit, sciunt tamen harum rerum periti, nequidem minutissimam schedam esse indignam, quae ab interitu atque exitio conseruetur. En ipsam.

Ego *heyfeco* dñs de *hupede*, recognosco pñtū lřā sigillo meo mūta, quod *hērico* dēō vā *der molen* et uxori ei⁹, ac ipōz. veris herēdib; nñō *w'nero* dēō de *rede*. octo iugera cā dimidiō sita *hiddestorpe* uppe deme būtre pro duob; talentis et dñdīo vēdidi cū ōřū vxoris mee et heredū meoz, pmitto etiā eis fide data quod psc̄pta iugera ab ipīs ī festo beati mā'ūni nūc proxima volo et debeo reeme' p pecūia mēōrata, datū año dñi M CCC XL in uigilia beati. iacobī apostoli.

- (E) *Hillikesfelle* erat, nostro Registro teste, sita in pago *Tiltithi*. Dubium non est, De villa *Hillikesfelle* in pago *Tiltithi*.
quin intelligatur vicus *Hilligsfeld*, haud procul ab vrbe Hameloa situs ad riuum dictum *die Hamel*, vbi maior et minor vicus *Hilligsfeld* reperitur, qui probe discernendi sunt primo a villa 1) *Hilgenvelde* in Laringa seu Frisia, inde

Yyy 3

Ab anno 890 vsque 900 regnante Arnolfo tradidit herdeg pro se et coniuge sua mercfuit I familiam et XII. manf. in *fersthan* et XXXXII iugera et in *byueren* (F) V manf. et CXXXX iugera.

§. 344.


Tradidit uedekind pro filio suo reynnuert unam familiam in *burium* (G) et XXXX. iugera et quidquid illic habuit.

§. 345.

inde a vico 2) Hildfeld in ducatu Westfalix in terminis principatus Waldecensis et denique a vico 3) Hilgenfelde in praefectura Sieke in comitatu Hojano. Nostra villa *Hullikesfelle* fuit praesto in pago *Tilthi*. *Luidolfus*, qui in eam familiam et 36 iugera tradidit, probabilissime ad Brunonianam stirpem esse referendus videtur. Animaduerte, *Herdegum* eius appellari proximum. Si, uti verosimile videtur, intelligitur *Herdeg*, qui in *Fersthan* et *Byueren* quaedam largitus est, *Herdeg* eius ex sorore mercfuit sororius fuit, de quo confer infra §. 349.

De villis *Fersthan* et *Byueren* in pago *Auga*.

(F) Villae *Fersthan* et *Byueren* tribuuntur pago *Auga*. In hoc fuit abbatia nostra Corbeiensis. Quare nullum est dubium, quin indicentur *Forst* ad *Wiseram*, et *Beueren* vicus, iter vnus horae distans ab oppido *Holtzminden* Orientem versus ad *Vifurgim* in Principatu *Wolferbutteleni*. In Diplomatario subiuncto de loco *Beuere* habentur plura. Ecclesiae ibi institutionem parochialem, Brunoni in acceptis ad an. 1506 ferendam, dedimus ibi n. 508, 509. Iam autem supra ad nauseam vsque id inculcauimus, demonstrantes, familiam Brunonianam possedisse praedia amplissima, in pago *Auga* sita. Statuendum ergo est, *Herdegum* ad Brunonianam stirpem spectasse, vel ista accepisse bona a dominis, e Brunoniana exortis gente. Probabile nobis non videtur prius. Affirmandum itaque erit posterius. Putamus ergo, negari non posse, *Herdegi* coniugem *Meresuitam* fuisse filiam *Luidolfi* ducis. Verisimillimum enim erit, vel *Bardonem I* acquisiuisse bona illa per vxorem suam *Hateburg*, quae *Haddonis I*, filii *Brunonis* ducis, filia videretur fuisse, et cuius scilicet *Hateburgae* neptis ex fratre *Haddone II* potuit esse *Hadeburg* vxor *Heinrici* aucupis; vel *Herdegam*, *Bardonis I* filium et *Bardonis II* fratrem accepisse bona eadem per vxorem suam *Meresuitam*. Coetanei sane fuere *Bardo I* atque *Hateburga*, et *Herdegus* ac *Meresuita*. Solide perhibere non poteris, consanguinitatem obstitisse hisce ineundis matrimoniis. En id, quod patescit e tabula sequenti:



De villa *Burium* in pago *Almunga*.

(G) Villa *Burium* erat in pago *Almunga* sita, teste nostro Registro. Nemo igitur facile negabit, intelligi oppidum *Buren*, ad fluium *Almam* in *Paderbornensi* episco-

§. 345.

Tradidit thiatmaruf I familiam in *nannun* (H) [pro bernhardo et L. agrof.

et gubernante
L. Corbeiam
Godescalco.

§. 346.

Tradidit liutharduf I familiam in *eccanbus* (I) pro coniuge sua demod.

§. 347.

Tradidit ailbernuf pro filio suo ailberno I familiam in *holtbus* (K).

§. 348.

episcopatu postum. Quantum itaque e situ huius villæ atque e nomine traditoris concludere licet, putamus, *Widekindum* nostrum fuisse patrum reginæ *Mahilde*, et probabilissime factorem nobilium dominorum de Buren. De quibus plura in sequentibus. Interim confer, quæ supra §. 229. 275. 339. not. (A) et infra §. 389. fuerunt exposita.

(H) *Nannun* villam existisse in pago *Hessi Saxonico*, refert abbas Saracho. Qui pagus cum fuerit ad flumen dictum *die Dimel*, villa *Nannun* in eadem regione querenda est. Inter desolatas autem villas eandem recensendam esse censemus, arbitantes, existisse eam inter vicos *Cörbeke* et *Lutgen-Bühne* in dynastia *Defenberg* intra episcopatus *Paderbornensis* terras. Cum enim ibidem in campo quodam reperitur decima quædam, dicta *der Nehmsche Zehnte*, probabilissimum omnino est, eidem decimæ nomen fuisse inditum a villa nostra. *Thiatmarum*, qui fitos ad hanc villam 50 agros donavit, reputamus pro celeberrimo *Thiatmaro*, cuius iam supra traditiones nostræ meminere §. 339.

De villa
Nannun
in pago
Hessi Sa-
xonico.

(I) Villa *Eccanbus* in Registro nostro posita dicitur intra pagum *Derlingo*. Quinam vero vicus intelligatur, adhuc nescimus. Hodie in toto illo tractu, in quo olim pagus *Derlingo* erat, nullus eiusdem nominis vicus vel locus reperitur, quam *Eizen* seu *Eitzen*, iter dimidiæ horæ distans ab oppido *Scheppenstedt* in Principatu *Wolferbutteleni*. Domicilium nostri vocant nunc *Hus*, nunc *Heim*. Vnde *Gremseve*, *Gremsheim*, *Grimbaldeshusi*, vnus idemque fuit locus. Eadem ratione *Eccanhus* et *Eccanheim*, seu *Eizen*, locus est idem. *Luitbardus* itaque videtur fuisse ille, cuius iam supra mentionem iniecit §. 316. Istum *Luitbardum* magnarum diuitiarum abundantem dynastam fuisse, atque optimo iure a nobis inter progenitores imperatoris *Lotharii* esse relatum, quodammodo exinde perspicitur. Villa *Eccanbus* non longe abfuisse potuit ab oppido *Königslutter*, et castro *Supplingeburg*, circa quæ *Lotharius* cæsar bona sua hereditaria tenuit.

De villa
Eccanhus
in pago
Derlingo.

(K) In Registro nostro sequuntur hæc verba: *In Holtbusun in pago Agrotungun Ribbod* habet LX iugera, et equitat quocunque sibi iubetur. E quibus verbis apparet villam *Holtbus* querendam esse in *Westfalia* haud procul ab oppido ac monasterio *Meppen*. Putamus ergo, designari villam *Holtbusen* in comitatu *Lingensi* sitam. Ex eo libet colligere, *Ailbernum* eiusque filium cognominem fuisse vnum e progenitoribus *Tecklenburgicorum* comitum, quorum factorem fuisse statuimus *Adelbertum*, filium *Cobbonis* comitis. Probabilissime igitur *Ailbernus* noster fuit filius illius *Adelberti*, ac frater *Godescalci* et *Gelonis*. Cumque *Cobbo* comes fuerit filius *Ecberti* ac nepos *Brunonis* ducum, quorum inter progenitores fuisse *Adelhardum* seu *Adelbertum* *Saxonie* ducem supra asseruimus, nostri *Adelberti* eandem sententiam probabiliorem reddunt, cum verissimum sit, posteros *Brunonis* ducis nomina, progenitorum suorum inter se conferuandi cupidos fuisse.

De villa
Holtbus
in pago
Agrotin-
gun.

(L) Vil-

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 348.

Tradidit alfricus pro se et pro uxore sua othilburch V. mans. et omnia quae habuit in *breco* (L).

§. 349.

Tradidit hiddi (M) pro forore sua aluered et pro uxore sua eruli I famul. in *sualdesbus* et aliam familiam in *burium*.

§. 350.

De villa
Breco in
pago
Huueti-
go.

(L) Villam *Breco* fuisse in pago *Huuetigo*, dicit Saracho noster in suo Registro B. et P. A. Corb. Intelligimus ergo, designari vicum *Breca* desolatam, olim partem vici dicti *Olden-Lüde*, itidem desolati. E situ huius villae conclusimus, *Alfricum* referendum esse ad stemma Widikindeum, eundemque fuisse filium *Bardonis I*, de quo egimus iam supra §. 104.

De villis
Sualdes-
bus et
Buriun
in pago
Heffi Sa-
xonico.

(M) *Sualdesbus* et *Buriun* villae collocantur, praesente abbate nostro Sarachone, in pago *Heffi Saxonico*. De villa *Buriun* confer §. 33. not. (v) et de villa *Sualdesbus* §. 314. not. (T) vbi diximus, designari loca, puta *Buren* haud procul a *Dimola* fluuiio, et *Saenhusen*, in dynastia *Defenberg* sita. Dubitat nemo, familiam *Brunonianam* seu *Ludolfinam* in eandem regionem passim dominatam esse, atque amplissima indidem bona hereditaria possedisse. Pater enim e diplomatis, et supra iam adductis, et adhuc ineditis, *Ludolfum* ducem, *Ottonem* illustrem, *Heinricum* atque *Ottonem* caesares in eodem tractu tenuisse hereditaria bona, quae indubie ad manus eorum a potentissimo possessore castri *Brunonisburgi*, *Brunone* scilicet Angariorum duce, peruenerunt. Non ergo ad aliam familiam referamus *Hiddonem* nostrum quam ad *Ludolfinam*, oportet, cum negari non possit, *Heinricum Leonem*, *Bauariae* et *Saxoniae* ducem, iustissimum stirpis *Ludolfinae* heredem, dynastiam *Defenbergensem* possedisse. Pater id e litteris ipsius *Heinrici* ducis ad caesarem, atque ad abbatem *Corbeiensem* *Wibaldum* anno 1157 et anno 1167 exaratis, quas e membranis adiungimus. En priores.

Serenitati ur̄e significo quod *widekindo de suaenberg* fore facta sua remisit sub hac penitentia consilio & petitione domini *patherbrunnensis* ep̄i & fratris sui *Volcwini* nec non aliorum amicorum suorum in placito. quod *corbeie* in rogationibus habui. omnem teutonicam terram. quam nobis *renus* diuidit. foriuravit. ad festum sc̄i iacobi transiture. nec unquam nisi mea uocatione reuerfurus. prius autem domino abbati *corbeiensi* nec non uidue & pupillis *theodorici comitis*. quem occidit. secundum consilium & preceptum meum satisfaciat & placabit. *castrum meum dasenberg* remota omni conditione uel modo gratie recepi. sicq̄. is. qui prius beneficia sua beneficii iure a me perdidit. hoc quoq̄. dimisit.

En posteriores.

Wibaldo uen̄r. sc̄e *corbeiensis* ec̄clie abbati dilectissimo domino suo *Heinricus* d̄i gr̄a *bauarie* & *Saxonie* dux deuotum obsequium cum omni sincera dilectione. quod omnia que ad honoris ur̄i augmentationem spectant equo ordine procedant. toto corde diligimus & optamus. de cetero de curte ur̄a *papenbeim*. sicut nobis insinuastis. libentissime prouidebimus & hanc curam *castellanis* nr̄is in *dasenberg* diligenter iniungemus. quod autem dominus *widekindus* coram nobis promisit & non perfoluit post reditum nr̄um ab expeditione. & si non. gratif tamen in beneplacito ur̄o et nr̄o perfoluet.

In his litteris, *Heinricum Leonem* de castro *Defenberg*, quod in terris episcopatatus *Paderbornensis* situm est atque iter trium horarum a castro *Brunonisburg*

go

go distat, e curte *Papenheim*, quam se per castellanos suos *Dasenbergi* defensorum esse promisit *Henricus*, meminisse, patet. Huius villæ iam supra mentionem inieciimus §. 220, not. (p). Constat inter omnes, curtem *Papenheim* dudum esse desolatam, sitam vero fuisse eam olim haud procul ab oppido *Borgentrick* in dynastia *Dasenberg*. Eadem villa adhuc existit anno 1437, vti membranæ nostræ docent. Eo enim anno duo mansi cum pertinentiis in *Papenheim* conferuntur ab abbate *Corbeiensi*, *Arnoldo*, in feudum *Frederico van der Wyndelen*. Possedisse autem ecclesiam nostram in eadem villa *Papenheim* decimam, elucescit e litteris sequentibus, nunquam hactenus editis. Eas addere liber, siquidem loca *Ochtmunde*, *Midelburen* et *Neddersenburen* sita sunt in ducatu *Bremen*si. De his alio tempore pluribus. En diploma.

Henricus dei grā abbas. *Ludolfus* p̄positus totusq. conuentus ecclē *Corbeyē*ni. uniuersis presentes visuris uel auditoris salutem in dñō sempiternam. quando ea. que p̄ t̄p̄e * aguntur. simul cum t̄p̄e a memoria hōiū labuntur. nisi robur accipiunt a testibus et a scripto. notum esse cupim⁹ uniuersis tam p̄ntis quam futuri eui fidelibus. quod nos de communi omnium n̄rōrum consilio et sensu p̄habita deliberatione matura intentione euidentis utilitatis et communis commodi me-

dietatem omnium bonorum infirmarie n̄rē sitorum *ochtmunde midelburen neddersenburen* nunc uacantium et in futuro quocunq. n̄rō uacatorum cum omnib⁹ suis iurib⁹ hōib⁹ p̄uentib⁹ et p̄inentiis cum speciali florentii infirmarii n̄rī silio de ip̄a infirmaria n̄rā traxim⁹ et ad communes usus ecclē n̄rē recepim⁹ in hunc modum. ut uidelicet ex fructib⁹ de dictis bonis ac hominibus collectis p̄ modum infra scriptum quarta pars decime *Fluxāf*. vendita p̄posito et monasterio *wilbodesen* et quarta pars decime *papenhem* vendita *Rabano de Papenhem* militi reemantur. quibus duab⁹ decimis reemptis et recuperatis p̄fatorum bonorum fruct⁹ in nullos alios usus conuertentur. p̄ter quā in redemptionem et recuperationem et meliorationem bonorum ecclē n̄rē. sed specialiter et precipue eorum que p̄bende communium necessaria videbuntur. eligentur itaq. due persone de n̄rō conuentu annis singulis fideles et fide digni qui p̄fatos fruct⁹ et proventus colligant et prout ip̄is a conuentu indictum fuerit dispensent factaq. p̄putatione se de hui⁹modi ultra non intromittant nisi ad hoc denuo forsan et concorditer eligantur. Infirmary quoq. qui pro tempore fuerit reliquā medietatem p̄scriptorum bonorum habit⁹ ad us⁹ officii sui bona eadem non ut diuisa sed integra tuebitur custodiet et pplacitabit suis expensis et laboribus sed tempore messium expensas propter messores fruct⁹ colligendos faciendas equaliter ferem⁹ cum infirmario et ipse nobiscum. Preterea si contingit aliquotiens exactiones siue iustas siue iniustas petitiones importunas er hospitia capi per quoscunq. in bonis et hominib⁹ supra dētis dampna ex his contingentia sustinebim⁹ equaliter cum infirmario et grām hominib⁹ istis ex hui⁹modi faciendam simili modo communiter faciem⁹. Insuper eruptiones aquarum si fieri contigerit in bonis n̄ris p̄uatis expensas circa reparationem talium secundum terre illius morem equaliter cum infirmario debebim⁹ sustinere. Super hec omnia p̄fate due persone de iam dictis bonis infirmos fr̄es n̄rōs caritatiue p̄curabunt. Ut igitur hec ordinatio firma sit et in omne tempus inconuulsa persistat et in memoriam futurorum extensa sigilla in p̄sentib⁹ duxim⁹ apponenda. hui⁹ rei testes sunt et ordinationi hui⁹modi interfuerunt senserunt commonachi et fr̄es n̄rī dilecti *Arnoldus p̄ptus in Wilbodesen ecclē n̄rē custos*. *Herboldus p̄ptus in monte martis*. *Conradus p̄ptus in Gerdene*. *Frideric⁹ p̄ptus noualis*. *Gotfridus p̄ptus noue ecclē apud Corbeyē*. et

quam plures alii fide digni. Datū anno dñi M. CCC. p̄mo in crastino inuention. scē crucis.

Sigillum *Henrici* est simillimum ei, quod appendet diplomati eiusdem abbatis, quod aeri incisum dedimus.

Sigillum capituli iam dedimus supra.

Zzz

Si

Ab anno
890 usque
900, re-
gnante
Arnolfo

Si ergo villa *Papebeim* olim sita erat haud procul ab oppido Borgentrick in episcopatu Paderbornensi, quod quidem extra omnem dubitationis aleam est positum; patet castrum *Dafenberg*, quod in litteris Henrici Leonis vocatur castrum *Defenberg*, haud procul Warburgo in eodem episcopatu campis undique patentibus in arduo cognominis montis iugo positum, quod situm repræsentat inexpugnabile munimentum, designari. Circa enim castrum *Defenberg* ampla planities et aptus frugibus ferendis campus, ex quo mons ambitu rotundo et miro naturæ artificio in fastigium confurgit, atque vertice supra omnia, quæ circum circa sunt, montium iuga longe lateque aspectabilis eminet. Ad progenitores Henrici Leonis, e stirpe Ludolfina ortos, pertinuisse castrum illius possessionem, docuit nos Chronicon nostrum MSCrum, in quo relatum legitimus: *Heinricum regem anno MLXX castrum Haminsien Ottonis Barvariorum ducis expugnasse ac funditus evertisse, et castellanos Ecberti castrum Dafenberg loci situ inexpugnabile omnibus ad bellum necessariis rebus abundantes tradidisse, Ottonem vero ducem iuxta Erkeneweg exercitum regis prostrigasse.* Fuisse autem Ecbertum, ad quem castrum *Defenberg* spectavit, filium Ecberti marchionis, fratris Brunonis aduocati Corbeiensis, patet ex eo, quod anno MXLVI. in eodem Chronico memoratur, *Rotbardum, qui rege presente Henrico Corbeia in abbatem electus erat, secutum esse regem Trutmanniam, inde vero reuersum in castrum Brunonis aduocati nostri Dafenberg diuertisse, atque inde Corbeiam reductum in sede positum esse.* Ergo indubie castrum *Defenberg* possedit Henricus Leo iure hereditario. Ipso autem proscripto, illud venit in manus episcopi Paderbornensis atque abbatis Corbeiensis, vti sequentes id attestantur litteræ. En eas.

In nomine sanctæ et indiuidue trinitatis *Bernardus* tertius dei gratia Paderbornensis episcopus. Sciat presens etas & cognoscat uniuersa posteritas, quod pene primo tempore pontificatus nri dñs *Widikindus* abbas corbeiensis questionem nobis mouit sup castro *defenberg* & super quibusdam dampnis, que se a nobis & maxime predecessore nro sustinuisse dicebat. fideles itaq; & ministeriales & sue & nre ecclie partes suas ad bonum pacis fideliter interponentes persuaserunt nobis, quod promissimus in arbitros & tactis euangeliis iurauimus, quod per omnia staremus ipsorum ordinationi. statuerunt igitur quod castrum *defenberg* pari labore & paribus expensis destrueremus, & quod de cetero montem illum nulli hominum conferremus, neq; odii neq; dilectionis intuitu, qui presidium uel aliquam munitionem in eo exstrueret, sed terram faceremus arabilem & omne emolumentum de nouellationibus decimationibus, & quibuscunq; puentibus similiter haberemus. Si uero grauamen aliquod uel dampnum casu emergeret, quod bono zelo & totis uiribus nos vicissim iuuaemus. Ipsi quoque arbitri interposito iuramento certos nos reddiderunt. Si necessitas exigeret, quod fideliter & efficaciter nobis assisterent. Statuerunt preterea si nos aliquid in noualibus molendinis uel in aquis indebite occupasse uideremur & dñs abbas ostenderet, hoc sibi iure competere, quod amice dimitteremus uel in beneplacito ipsius retineremus. Et quod ipse idem faceret, si forte iniuria aliqua a se uel a suis nobis esset illata. Statuerunt etiam, quod nec nos homines suos nec ipse nros ad aliqua cogat obsequia, & si aliquo casu factum fuerit quod infra VI. septimana emendetur. Ad hec statuerunt quod decime illi super LX. mansos quorum XXVIII sunt in *memberche* & X. in *hesene* & VIII. in *konenclo* & *belgerffen* & VIII. in *heiligerberche* & IIII. in *balderbroc* ab antecessore nro collate, adiceremus decimam super XL mansos extirpandos in bonis Corbeiensis ecclie redditibus dñi abbatis & fratrum prebende specialiter pertinentibus, nulli alii prius conferendam nisi horum XL mansorum cum predictis LX numerus adimpleatur. Et annoam, quam predecessor nre in commutationem illius decime de iam dictis LX mansis acceperat. Et comiti *amelungo de Paderborn* postmodum iure feudali concessit assignauimus XX moldra eiusdem mensure & annone in curia *Wintelbe*, donec ea a comite possimus absolueret & in proprietatem corbeiensis ecclie reducere ualeamus. Uolentes igitur uenerabili & dilecto amico nro & ecclie sue quantum in nobis

nobis est prouidere. successores n̄ros cum consensu capituli n̄ri in eadem pacta obligauimus. Et quia facta hominum cum hominibus transeunt nec constitutio n̄ra per diem uocationis n̄re obliuionis contingat nube fuscari. p̄sentem paginam sigillo n̄ro & sigillo ec̄clie n̄re communiter posteris n̄ris in argumentum ueritatis transmittimus auctoritate dei & sc̄orum omnium & n̄ra districte mandantes ne quis ullo ingenio contra huius ordinationis pacta uenire p̄sumat.

et guberna
nante
Corbe
iam
Gode.
calco

Acta sunt hec anno incarnationis dñi M. CC. III. indictione VI. pontificatus n̄ri anno primo.

Testes huius rei sunt Lambertus p̄positus. tidericus decanus. Henricus p̄positus sc̄i Petri. tidericus scolasticus. conradus custos. Iohannes cellerarius. Vulfframms. hermannus noue ec̄clie p̄positus. hermannus. tetmarus. crato. gerhardus. volcquinus. conradus. hermannus. bolcko. frethericus. adolfus. laici. bernhardus hercule hermannus de schardenberg. bernardus de northe. hermannus comes de warthberch. heinricus dapifer de parborne. hermannus pincerna. gerhardus schultetus & iidem hi fuerunt arbitri dñi ep̄i de p̄dicta ordinatione. fuerunt autem hi arbitri dñi abbatis. bodo de hoenbroc. hermannus hercule. conradus de Amelungessen. raueno de ortberghe. ludolfus dictus burgrauus. arnoldus de porta. henricus de lutmersen.

Videntur autem episcopus et abbas obsidionem ac destructionem castri Desenbergici distulisse vsque in annum 1236. Id testantur littere sequentes, quas ex libro copiali, in membrana scripto, adiungi, multis pergratum erit. En haec.

Bernhardus d̄i gr̄a paderburnensis ec̄clie ep̄s uniuerfis Xpi fidelibus tam presentibus quam futuris notum facimus audiuisse nos quod *adelungus iunior de scardenberge* actioni quam habuit in fratres de *Amelungesborne* pro bonis in *syburgehufen* septem uidelicet mansis plane renunciauit. factum est autem hoc in n̄ra presentia tempore obsidionis *desenberge* ante idem castrum p̄sentibus et audientibus nobiscum abbate corbeienſe dño *Hermanno* nobilibus uiris comitibus *Conrado Ottone* et *Lodewico de Euerstein*. comite. *adolfo de Waldecke*. *Hermanno marscalco* n̄ro et castellanis aliis de *Warberge* et aliis quam pluribus. anno dñi M. CC. XXXVI.

Noli autem putare, dominos Brunoniana stirpis in eadem regione nisi nudum castrum *Desenberg* tenuisse. Castro enim comprehenditur tota dynastia *Desenbergensis*, ut colligitur e litteris ipsius Henrici episcopi Paderbornensis et ducis Saxonie, in quibus anno 1581 imperat *Spigeliis*, ut cum in monte et arce *Desenbergensis*, tanquam primaria feudi parte, omnis iurisdic̄tio *Desenbergensis* domini sit fundata, et inde originem ducat, ne ipsum castrum funditus collabi sinant, sed superiorem eius arcem bene conclusam, per ianitorem, custodiant, atque ipsam turrim restaurent, ac sartam telam conseruent. Ex quibus verbis sequitur, possessores castri *Desenbergensis* possedisse totam regionem seu prouinciam, arci *Desenbergensi* circumiectam. Quodsi ergo comites Brunoniana stirpis fuere possessores castri *Desenbergensis*, nemo negare poterit, ad iura quoque eorum pertinuisse villas, in eadem regione obuias. Cum itaque *Luidolfus dux*, *Otto illustris*, *Heinricus auceps*, atque *Otto Magnus*, tum potentissimi tum gloriosissimi domini, in eodem tractu hereditaria bona possederint, non sine ratione omni statuitur, illos dominos, qui in eadem prouincia bona habuere hereditaria, ab iisdem dominis propullulasse.

Quis ergo vituperare nos poterit, quod *Hiddonem* appellauimus filium *Luidolfi ducis* atque fratrem *Otonis* illustris? Cum enim *Hiddi* noster primum gauisus sit filio nomine *Luidolfo*, testante §. 342, cui probabiliter nomen inditum fuit ab auo duce, deinde sororem habuerit nomine *Alfredam*, coniugem *Bardonis* e

Ab anno
890vique
900 re-
gnante
Arnolfo

stirpe illustrissima Widikindea, id ipsum indicio est, ipsum *Hiddonem* quoque fuisse dominum e quadam familia illustrissima progenitum, siquidem propinquus appellatur *Beuonis*, fratris *Luidolfi* ducis, testante §. 231, et denique bona tenuit in eadem regione, in qua *Luidolfus* dux bona sua hereditaria habuit. Quamobrem cum ratione insanire videbitur ille, qui pernegabit, *Hiddonis* nostri patrem fuisse *Luidolfum*, ducem Saxoniae orientalis.

Non est autem, quod oggannias, sententiam nostram stare non posse cum Agii *Vita Habumodae abbatissae Gandersheimensis*, scripto coetaneo, ac quondam composito in ipso monasterio nostro Corbeicensi. Agius enim, inquis, qui liberos *Luidolfi* ducis optime nosse poterat, filias *Luidolfi* ita recenset, ut primo adfirmet p. 12. filiam *Luidolfi* fuisse *Habumodam* abbatissam Gandersheimensem anno 874 mortuam, deinde p. 23. asserat, unam sororem *Habumodae* abbatissae ac terminos fratres obiisse tenellos, ac denique p. 23. referat, quinque sorores *Habumodae Luidolfum* dedisse diuino obsequio. Haec quinque sorores, pergis, sunt 1) *Luitgarda*, regis *Hludouici* vxor, 2) *Habumoda*, 3) *Gerberga*, 4) *Christina*, abbatissae, et 5) *Enda*, cuius maritum Agius non prodidit. Ipse tamen p. 3. asserit, reliquas sorores *Habumodae* secundum natalium dignitatem honestissimas nuptias esse sortitas. Quomodo ergo *Alfreda* soror *Habumodae* et filia *Luidolfi* ducis appellari poterit?

Sed respondemus, Agium nostrum sub his quinque fororibus neque abbatissam *Habumodam* neque *Endam* comprehendere potuisse. Cœnobita enim noster alloquitur l. c. has quinque sorores. Ergo illas eo tempore, quo carmen suum composuit, adhuc in viuis fuisse oportet. *Habumoda* autem eo tempore iam mortua erat, neque eorum soror *Enda* anno 874 adhuc inter mortales esse potuit. Filiae enim *Luidolfi* p. 22 loquuntur de fatiis patris fratrum simul atque sororum, quae *Habumoda* in caelis nosse poterat. Si ergo una tantum soror *Habumodae* obiit tenella, testante Agio p. 23, *Habumoda* vero obitum non fororis, sed sororum in caelis nosse potuit, sequitur, *Endam* quoque iam anno 874 fuisse mortuam. Sequitur ergo proinde, *Luidolfo* duci praeterea duas filias esse tribuendas, ita ut octo filias habuerit, quae sunt 1) *Habumoda* abbatissa 2) *Enda*, quae cum iuncta fuerit marito, testante Agio l. c. fortassis vxor fuit *Luitbarit*, qui in his traditionibus §. 317. occurrit, et §. 231. propinquus *Beuonis*, fratris *Luidolfi* ducis, appellatur, probabiliter autem eiusdem *Luitbarii* filius fuit *Luitbarius*, episcopus Mindensis, nepos *Otonis Magni*, qui mortuus est anno 927, testante *Chronico Laurethamensi* p. 115 et 117 et *Necrologio Fuldensi* p. 763. 3) *Anonyma* mortua tenella 4) *Luitgarda* regina 5) *Gerberga* abbatissa 6) *Christina* abbatissa 7) *Alfreda* et 8) *Anonyma*, quae forte fuit *Meresuita* vxor *Herdegi*, de qua egimus supra §. 343. seq. Perhibere itaque nemo poterit, Agium scriptorem coetaneum esse nostrae sententiae contrarium, quippe quo cum potius illa optime cohaeret. Si ergo *Alfreda* filia fuit *Luidolfi* Saxoniae ducis, sequitur inde, eiusdem *Alfredae* fratrem *Hiddi* fuisse filium *Luidolfi*. Nullus negare poterit, filiabus *Luidolfi* haecenus cognitissimas adhuc duas esse addendas, quas nos primum detexisse, fateri debent cuncti. Nomen autem accepisse videtur a *Meresuita*, praedicta, *Marswidis* fundatrix monasterii Schildecensis, in comitatu Ravensbergico sita, quippe quae probabilissime *Meresuitae* nostrae atque *Herdegi* filia fuit. Habemus vitam illius *Marswidis* MS&am, ex qua primo patet, eam fuisse unicum filiam parentum suorum, deinde eam bona hereditaria possedisse in pago *Wessaga*, seu in comitatu Ravensbergico, praeterea eius consanguineos potentissimos dominos, et patrum eius filium ac filiam *Hogerum* atque *Emmam* fuisse, quorum ille canonicus Paderbornensis, haec vero sanctimonialis Herifordensis fuerit, et denique *Marswidem* mortuis suis parentibus et coniuge fundasse anno 939 monasterium Schildecense in pago *Wessaga* pro sanctimonialibus. Hoc Otto caesar anno 940 Corbeiae praesens confirmavit, eique *Emmam* praedictam in primam abbatissam praefecit. Quodsi igitur statuamus, *Herdegum* fuisse filium *Bardoni* I. comitis, et fratrem *Alfrici*, *Wiberti*, *Walberti* ac *Bardoni* II, *Hogerum* praedictum atque *Imma* liberi *Alfrici* non esse non poterunt. Eapropter autem *Marswidem*, fundatricem monasterii Schildecense, pro filia *Herdegi* Widikindei ac *Meresuitae* filiae *Luidolfi* ducis habemus, quia tam e *Vita Marswidis*, quam e diplomate *Otonis* II inedito, ad annum 974 dato, patet, *Marswidam* omnia bona

§. 350.

Tradidit eſic pro fratre ſuo liudolfo I familiam in *uueſtereliſun-*
gen. (N)

et guber-
nante
Corbe-
iam
Gode-
ſcalco.

§. 351.

Tradidit rothuardus pro filio ſuo maynuerco in *gelliſbus* (O) et
uualkium II. manſ. ſiue CXX iugera et III. iurnaleſ.

§. 352.

bona ſua hereditaria monaſterio Scildecenſi tradidiſſe, interque hæc bona fuiſſe
quædam in pago Nitherſi ſita. Hæc bona erant anno 974 in pago Nitherſi po-
ſita ac in comitatu *Regenwercti*. Eadem tradit *Imma* Scildecenſis abbatiffa per
aduocatum ſuum *Lubertum* epifcopo Paderbornenſi *Folcmaro*, acceptis ab hoc
epifcopo per eccleſiæ ſuæ aduocatum *Tbidericum* decimis quibuſdam in Scildeze,
in veteri Scildeze, atque in aliis villis. Si itaque *Marſwidis*, fundatrix abbatie
Scildecenſis, fuit filia *Mereſuite* natæ *Luidolfi* ducis, bona abbatie Scildecenſi
tradita, atque in pago Nitherſi ſita, probabiliffime accepit *Marſwidis* ex heredi-
tate matris ac aui *Luidolfi* ducis, quem in pago Nitherſi ampliffima tenuiſſe præ-
dia, iam ſupra vidimus; bona vero in pago Weſſaga veriffimiliter in manus ve-
nere *Marſwidis* a patre eius *Herdego*, quem eam ob cauſam Widikindeis adſcri-
pſimus, quia nemo negare poterit, quondam in pago Weſſaga dominatos eſſe
dominos, e Widikindea ſtirpe procreatos.

- (N) Villa *Wæſtereliſungen* erat in pago *Heſſi Saxonico*, reſtante Registro Bonorum A. C. De villa
abbatis Sarachonis. Procul dubio itaque intelligitur vicus *Eſſingen*, ſitus in ^{Wæſter-}
Landgrauatu Haſſo-Caſſellano in præfectura Zierenberg. Cum traditoris fra- ^{eliffungen}
ter appelleretur *Luidolfus*, et nomen et dona nobis perſuadent, tam *Eſſiconem* quam ^{in pago}
Luidolfum ad familiam Brunonianam ſpectaſſe. Bona enim in eadem regione ^{Heſſi Sa-}
ſita ſunt, in quam Brunoniana domus dominata eſt. Diplomata iam ſupra pro- ^{xonico.}
ducta et infra producenda ſatis luculente id comprobant. Optimo igitur iure
Eſſiconem ac *Luidolfum* ad Ludolfinam gentem retulimus. *Luidolfus*, frater *Eſſici*,
probabiliffime eſt *Luidolfus*, qui §. 343 proximus *Herdegi* appellatur. Quod
eam ob cauſam procul dubio factum eſt, quia *Herdeg* ſororem *Luidolfi Mereſui-*
tam habuit in matrimonio. Cum itaque *Herdeg* dominus fuerit Widikindeæ
ſtirpis, id ipſum indicio eſt, et *Luidolfum* ad familiam quandam illuſtriſſimam
pertinuſſe, qualis citra controuerſiam Ludolſina fuit, et *Mereſuitam* filiam fuiſſe
Luidolfi ducis, vt §. 349. vidimus. Hinc porro ſequitur, tam *Luidolfum*, quam
Eſſiconem, filios fuiſſe *Luidolfi* ducis.

- (O) *Gelliſbus* et *Walkium* tribuuntur ab abbate noſtro Sarachone *pago Tilitibi*, quem ad ^{De villis}
vtramque Viſurgis ripam inter Bodenwerder atque Hamelen oppida reperiri, ^{Gelliſhus}
vidimus ſupra §. 105. Quinam vero vici per *Gelliſbus* et *Walkium* deſignentur, ^{et Wal-}
nondum accurate indicare poſſumus. *Gelliſbus* fortalle eſt *Gellerſen* ſeu *Gollerſen* ^{kiun in}
haud procul a vico Hamelſchenborg. An vero ſit *Walkium* vel *Walſen* in ^{pago Ti-}
dynaſtia Artzen, vel Weſſe ad fluuium Embrinam in eodem dominio inter vicum ^{lithi.}
Amegofen prope terras Brunſuicenſis ducatus, et Dale vicum, ad comitatum
Pyrmontanum ſpectantes, vel alia villa, in medio relinquere debemus. Illud
interim nobis probabile videretur, *Rotwardum*, qui in his villis quædam donauit,
ad progenitores nobilium dominorum de Ertellen ſeu *Artzen* referendum eſſe,
atque hos e progenitoribus comitum de Euerſtein deſcendiſſe. Si tibi placet,
euolue tabulam genealogicam Brunonianæ ſtirpis, ſupra §. 104. not. (n) infer-
tam, atque in ea Euerſteinenſem gentem. In ea reperies, *Folcbertum* patrem
fuiſſe *Meinwercti* ac *Thiadrici*, ac *Thiadricum* fuiſſe patrem *Rotwardi* atque *Helm-*
wardi. Quantum itaque e bonis et ſimilitudine nominum concludere licet, cre-
dimus, *Rotwardum*, qui in villis *Gelliſbus* et *Walkium* quædam tradidit, filium
fuiſſe *Folcberti*, ac fratrem *Meinwercti* et *Thiadrici*. Veriffimile enim nobis vide-
tur, *Meinwerco*, filio *Rotwardi*, nomen eſſe inditum, a patruo ſuo petitum, ac *Rot-*
wardum, filium *Thiadrici*, itidem nomen ſuum accepiffi a patruo ſuo *Rotwardo*.
Cum autem *Helmwardus* fuerit filius *Rotwardi* II; idem *Helmwardus* nobis perſua-
det, vt credamus, nobiles dominos de Artzen ab eo deſcendiſſe. Nomen enim
Helm-

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 352.

Tradidit syuarduf pro patruo suo uechano iurnal. I. in *wynithun* (P) et XXXX. iugera.

§. 353.

Tradidit tradulf pro coniuge sua hrodgherde I famil. in *ekkirikesbus* (Q) tadan cum sua famil. et L. iugera et I. manium.

§. 354.

Tradidit thiatmarul pro berthlede in *uualcrimbus* (R) I. famil. et XXX. iugera et I. manf.

§. 355.

Helmwardi inter dynastas de Ertelsen fuisse vsitarum, docet nos *Helmwartus de Ertelsen*, qui anno 1199 inter benefactores Corbeienses numeratur. Et quamuis accuratam connexionem genealogicam illius *Helmwarti de Ertelsen* cum dominis praedictis nondum demonstrare queamus, indicandum tamen id erat, ut aliis occasionem praebemus de eo nexu altius cogitandi. Fortassis etiam his dominis addendus erit *Helmwardus*, episcopus Mindensis, qui anno 956 floruit.

De villa
Wynithun in
pago
Logne.

(P) *Wynithun* villam existisse in pago *Logne*, docet abbas noster Saracho in R. B. et P. A. C. Pagum *Logne* fuisse in principatu Gottingensi, iam vidimus supra. Intelligimus ergo designari vicum *Weende* in praefectura Harste in eodem principatu. Atque ex eo concludimus, *Sywardum* seu Sifridum cum patruo suo *Wechano* ad progenitores Northeimensium comitum spectasse. Et sane ipsum Sywardi nomen satis luculente indicat, eundem ad nullos alios nisi ad Bomeneburgicos dynastas pertinuisse, inter quos nomen Sifrii crebro repetitum deprehendimus. De nostro *Sywardo* confer supra §. 104. not. (1).

De villa
Ekkirikesbus.

(Q) *Ekkirikesbus* villa in nostro non reperitur Registro, quod valde dolemus. Cum enim, testante diplomate Caroli crassi, ad a. 887 supra §. 104. allato, villa quaedam *Eerikesbusun* exstiterit in marca Asseki, atque *Eggrikenbusun* villa quondam in Laris fuerit reperta, data hac occasione differentiam harum villarum ostendere potuissimus. Tacente ergo abbate nostro, tacebimus ipsimet. Iudicium sit penes lectorem, an intelligatur *Echbusen* in episcopatu Paderbornensi, an *Echbusen* in ducatu Westfaliae, an *Ikenbusen* haud procul ab oppido Warburgo ad Dimolam, an *Edinggabusen* villa desolata non procul a vico *Ertzbusen* in praefectura Grene in Brunsvicensi ducatu, an *Eggeringbusen* in episcopatu Paderbornensi, an *Eggesse* in praefectura Harpsted in comitatu Hojano, an *Elkersbusen* in praefectura Fridland, an *Elkersbusen* in Thuringia, an *Elkersbusen* in Hassia, an alia villa.

De villa
Walcrimbus
in pago
Suilbergi.

(R) *Walcrimbus* villa tribuitur *Suilbergi* pago a diligentissimo abbate nostro. Cum autem hic pagus circa urbem Einbekam in Principatu Grubenhagico, et circa urbem Dassel per comitatus Dasselienfis terras quondam exstiterit, ea propter quaeritur, quinam vicus intelligi debeat designatus. In eadem regione reperiuntur 1) *Verliebhusen* in praefectura Usler intra principatus Gottingensis terras, 2) *Verlingfen* in eodem principatu sub iurisdictione dominorum de Adelpfen, 3) *Volprichbusen* in praefectura Usler, 4) *Wehlbusen* in eadem praefectura ad riuum, dictum *die Schwalm*, 5) *Wolderkesen* quondam obuia in comitatu Dasselienfi villa, et 6) *Wellerfen* in praefectura Rotenkirchen in principatu Grubenhagensi, cuius ecclesia filia est ecclesiae in Dassenen. Quinam ergo ex his vicis nostra sit villa *Walcrimbus*, quaerere libet. Respondemus: Ipsa videtur vel defuisse vel *Wellerfen* esse.

§. 355.

Tradidit maynhardus pro se in *hikiesbus* (S) I famil. et tradidit god-
scalus frater eius alteram famil. pro se.

et guber-
nante
Corbe-
iam
Gode-
scalco.

§. 356.

- (S) *Hikiesbus* villam olim existisse in pago *Fleitbi*, retulimus iam supra §. 338. ex De villa
abbatis Sarachonis Registro B. et P. A. C. Cum vero in toto illo tractu, in quo *Hikies-*
pagus *Fleitbi* quondam reperiatur, hodie nullus vicus maiorem similitudinem *bus in pa-*
cum nostra villa habeat, quam vicus *Hafkenbusen*, qui iam praefecturae Wint- *go Flei-*
zenburg domicilium et sedem praebet; erit vel ille vicus villa nostra, *thi.*
vel eadem erit locus *Hieshusen* desolatus inter Lamspringam et Ruden vicos.
Posterius nobis probabile videtur. *Maynardum* itaque cum fratre *Godscalco* l. c.
inter posteros *Siwarti*, qui in villa *Harnbarnsen* anno 823 quaedam tradiderat,
retulimus, atque, hunc factorem celebratissimorum comitum de Northeim, Dassel,
Homburg et Wintzenburg fuisse, statuimus. Patet vero exinde, ducem Saxo-
niae *Luidolfum* non possedisse totam regionem circa oppidum Gandersheim, et
fulgentia testis *Luidolfi* ducis, quorum Agius in Vita Hathumoda abbatissae
Gandersheimensis p. 4 meminit, in loco alio quaerenda esse, quam in loco
Widmidiburch, olim sito iter dimidiae horae versus meridiem a castro Wintzen-
burg. *Ludolfus* castrum habuit vel in Nordludolshusa inter Brunshusa at-
que Danckelsen, vel in radicibus montis Hefer supra villam Gremssen, vbi ru-
dera castrum dicti die Krochenburg, in hunc diem exstant. Verisimillimum enim
erit, locum *Widmidiburch* ad posteros dicti *Siwarti* spectasse, siquidem, Annali-
sta Saxone teste p. 469 anno 1038 *Sifridus palatinus comes frater Brunonis Min-*
denfis episcopi VII. kal. Maii mortuus et Widmidiburch tumulatus est, quem pala-
tinum *Sifridum* nos ab illo *Siwarto* magna veritatis specie deduxisse, speramus.
Cum autem iam supra filios et posteros *Luidolfi* ducis circa castella *Brunonisbur-*
gum et *Desenbergam* in Westfalia amplissima praedia possedisse deprehenderimus,
atque haec castra omnium fortissima Saxonum appellentur, iudicium sit penes
lectorem, an nos, si testis *fulgentia* *Luidolfi* ducis vel super *Desenberga* vel *Bru-*
nonisburgo fuisse perhibeamus, operae tulerimus pretium. Inquirendum vide-
tur, an alii maiori similitudine veri affirmauerint, eadem testis quaerenda esse in
loco *Widmidiburch*. Id ex Agii Vita Hathumoda in comperto est, *Ludolfi* Odae-
rae sedem haud multo spatio Brunshusa abfuisse, loco, qui postea virginibus sa-
cratis Benedictinis cessit. Videris autem a nobis querere, quomodo bona in pago
Fleitbi, tam Corbeiensis quam Gandersheimensis abbatiae tradita, ad manus perue-
nerint *Siwarti*, *Meinhardi* ac *Luidolfi* ducis? Respondebimus autem
nihil ad interrogata, si enuntiationes, omni exceptione maiores, et verba, diplo-
matibus comprobanda, requiris. Etenim diplomata non adfunt nobis; adfunt
autem argumenta probabilitatis summae, quae coniectando extricare debemus.
Agedum faciamus periculum. Locupletes dimisisse possessiones suis filiabus du-
cem Ostfalorum *Hessum*, iam supra docuimus e vita S. Luitbirgis. Ex ea simul
patet, eundem ducem bona possedisse in montibus *Harzibus* seu in pago *Hartha-*
gerwi atque in pago *Salogewe* per Franciam orientalem et in vicinia saltus Bocho-
niae. Tenuisse eundem ducem bona in pagis *Northbwingi*, *Derlingi* atque in
pago *Guddingo*, e nostris patet traditionibus. Ex hisce porro concludimus, eun-
dem ducem et potentissimum et opulentissimum fuisse dominum, atque ad po-
testatem eius maximam Ostfaliae partem probabilissime spectasse. Si dux Ostfa-
lorum *Hessi* tam insigni terrarum tractui, et NB. pago *Guddingo* in Principatu
Calenbergico et circa urbem *Eltze* imperitavit, neminem negaturum confidimus,
eundem quoque imperitasse pago *Fleitbi*, quo tempore, *Hludouico* pio regnan-
te, ducem *Luidolfum*, *Siwartum* factorem Northeimensium comitum, et domi-
nos quosdam e gente *Widikindea* bona quaedam possedisse, iam supra vidimus.
Hos dominos aut eorum posteros inter coheredes ducis Ostfalorum *Hessi* fuisse,
traditiones nostrae testatae sunt. Nonne ergo probabile erit, *Luidolfum* ducem,
Siwarti posteros, et *Widikindeor* bona ista ex hereditate *Hessi* ducis accepisse? *Si-*
wartum eiusque posteros in pago *Fleitbi* possedisse praedia, §. 338. docuimus.
Luidolfum ducem tenuisse in eodem pago bona quaedam, probat fundatio illu-
strissimae abbatiae Gandersheimensis, quippe quae ad eundem pagum quondam
relata

Ab anno
890vique
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 356.

Tradidit reinholdus pro filio suo herimanno in *reinholdeshus* (T)
I famil.
tradidit ailhardus pro filio suo bernhario III famil in *lide* (U) et II manf.

§. 57.

relata fuit. *Widekindi* quoque posteros in eodem tractu bona habuisse hereditaria, adprobauimus supra §. 127, ex quo quippe apparet, *Buniconem* seu *Bennonem*, ac *Riedagum* sita intra eandem regionem bona quaedam tradidisse. Hos autem dominos fuisse Widikindeae stirpis, diximus supra §. 104. Ille *Riedagus* probabilissime est fundator monasterii Lamspringensis, quem recentiores perpetram nominarunt *comitem Winzenburgicum*. Quamuis enim diplomata tam *Alfridi Hildenesheimensis* episcopi, quam *Ludouici regis*, quae duumviri *Leuckfeldius* atque *Harenbergius*, ille in *Antiquitatibus Ganderib.* p. 287. seqq. hic vero in *Historia Gandersheim.* p. 138 seqq. exhibent, sint supposititia, in quibus, *Riedagum* Lamspringense monasterium fundasse, asseritur, ipsam tamen fundationem a nostro *Riedago* peractam in dubium vocare non audeamus, quum *Hildesensis* Episcopus *Adelhogus* constructionem a *Riedago* nobili profectam confirmauerit, et ex his pateat traditionibus, quendam *Riedagum* circa medium saeculi IX vixisse, tenentem circa monasterium Lamspringense bona hereditaria. Eius autem frater *Benno* probabilissime est ille dominus, qui castrum *Benneburg* seu *Bennonisburgum* prope *Hildesiam* construxit. Castrum *Benneburgum* iam extitisse tempore *Caroli Magni* et *Hludouici pii* caesarum, *Lauensteinium* in *Historia Hildesensi* nondum demonstrasse censemus. Inter fabulas eius illud tantum recensemus, donec eruatur veritas. *Bennonem* possedisse bona circa *Benneburgum*, probabile reddi putamus e verbis §. 127 traditionum Corbeiensium. Didicimus enim ex illis, *Bennonem* bona tenuisse in pagis *Ambergo*, *Mersthem* et *Guddingo*. Verisimile non esse arbitramur, *Bennonem* omnia, in eadem regione possessa, et probabilissime ex hereditate ducis *Ostfalarum Hessi* adquisita, bona tradidisse monasterio Corbeensi. Pleraque *Benno* retinuisse videtur, ad quae tuenda illum castrum *Benneburgum* struxisse, probabili coniectura auguramur. Digna sane res est, quae consideretur accuratissime. Cum enim *Benno* seu *Bunico*, frater *Riedagi*, teste §. 137, etiam bona quaedam abbatiae nostrae tradiderit, sita in pago *Ambergo*, nominatim in *Vpstedi*, quae quondam sedes erat *Maconis* aduocati *Hildesheimensis* tempore *Otwinii* episcopi, testante *Translatione Reliquiarum Corporis S. Epiphanii*, Tom. I. S. R. B. Leibnitii p. 259, ex eo concludendum esse censemus, quinam domini fuerint, ad quos saeculo IX et X ius Aduocatae *Hildenesheimensis* spectauit. Nullam huius memoratu dignissimae rei mentionem iniecit *Hildesensium Annales*, facile largimur. Quid enim eorum intererat enarrare illa? Patet vero ex hisce, quantis adhuc tenebris inuoluta sint pleraque in *Historia antiqua Saxoniae nostrae*, in qua vel micam luminis venerandam esse, e dictis elucescit. Confer infra §. 401.

De villa
Reinholdeshus in
pago Logne.

(T) *Reinholdeshusen* villa erat, teste *Sarachone*, in pago *Logne*. Res ipsa loquitur, eam nomen accepisse a quodam *Reinoldo*. An ipse *Reinholdus* fuerit, qui bona in ea tradidit, vel aliquis e progenitoribus eius, in obscuro latet. Cum autem in principatu *Göttingensi* inueniantur primum vicus et praefectura *Reinbusen*, olim caenobium monachorum *D. Benedicti* ac *Congregationis Bursfeldensis*, et deinde sub praefectura *Fridland Reinboldshof* villa, ad iura olim spectans monasterii *Weende* in eodem principatu reperiundi; quaeritur, quinam designari intelligatur vicus? Respondemus, nos illud nondum accurate indicare posse. Quamuis enim supra §. 104 dixerimus, intelligi villam *Reinboldshof*, contradicere tamen illi non valemus, qui perhibere vellent, intelligi vicum *Reinbusen*. Quemadmodum enim pro *Reinholdo* dicere solent *Reino*, ita *Reinholdeshusen* facillime contrahi potuit in *Reinbusen*. *Reinboldum*, qui eadem in villa bona tradidit, inferendum esse progenitoribus illorum dominorum, qui ineunte saeculo XII fundarunt monasterium *Reinhufanum*, nullus negare poterit. Egimus de illis supra §. 104 not. (1).

(U) Villa *Lide* erat in pago *Guddingo*, testante *Registro Sarachonis MScto*. Eundem exti-

§. 357.

Tradidit sigibertus pro filio suo sigiberto I famil. in *nighunburni* (W)

et gubernante Corbeiam Godescalgo.

§. 358.

Tradidit rothgerus pro patre suo luithario et fratre suo oddone unam familiam in *coxtidi* (X).

§. 359.

existisse in Hildesheimensi episcopatu in regione oppidorum Gronau et Eltze, vidimus iam supra. *Lide* procul dubio est vicus *Lede*, iam desolatus, olim reperiendus non procul ab oppido Gronau. Templum huius vici adhuc ibidem conspicitur. Iplis nostris oculis illud sæpe et adhuc anno 1739 vidimus. *Alhardum*, cuius nomen contractum est ex *Adelbarde*, qui hos duos mansos, ad villam *Lide* sitos, donauit, supra retulimus ad nobiles dominos de Hoinboken. Quamuis enim *Lede* ad dominium Homburgense spectarit, vti patet e diplomate supra allato, negari tamen non poterit, nobiles dominos de Hoinboken ab Homburgensibus defluxisse.

(W) *Sigibertum* referendum esse ad progenitores nobilium dominorum de Homborg, De villa et nomen et dona eius probant. *Nighunburni* enim villa, in quo ille vnam familiam tradidit, erat in pago Wikanauele, Sarachone teste. Designari intelligitur vicus *Negenborn* situs inter monasterium Amelungesborn et oppidum Bevern in Brunsvicensi ducatu, olim spectans ad iura nobilium dominorum de Homborg, vti patet e litteris *Henrici dei gratia domini de Homborg*, in quibus ex consensu *Bodonis filii et Bodonis cognati Amelungesbornensibus* confert dimidium decima in *Negenborne* pro remedio anime uxoris sua domine *Mechtildis*, testantibus adhibitis *Bernardo C. de Brakel, Ludolfo comite de Dasle, Hartungo de Aulica, Conrado de Bernerode* aliisque, quam donationem patris sui *Henrici Bodo de Homburg* anno 1271 confirmavit, sigillumque addidit *comes Lodewicus de Euersteine*. Hisce litteris subscripserunt *Heinemannus et Conradus fratres, dicti dapiferi, et Henricus de Luthardessen, miles*, nec non *Henricus Rebock et Florentius frater eius, famuli*. Extinctis nobilibus Dominis de Homborg, et translato dominio Homburgico ad serenissimos Brunsvicenses ac Luneburgenses duces, *Henricus senior consensu fratris Erici* declarat, *Wilhelmum patrem oppignorasse Amelungesbornensi abbati Wernero pagum deuastatum Niegenborne iuxta castrum Euerstein situm 700 florenis renanis et XII Gotingensibus marcis, prouti anno 1490 actum fuit Hardegse in vigilia natiuitatis Marie*. Cum igitur nomen *Sigiberti* idem sit, quod *Siberti, Siwerti, seu Sigefridi*, quod inter Northheimenses atque Homburgenses crebro repetitum deprehendimus, stupidus sit, qui reddi probabile non intelligat, *Sigibertum* cum filio suo cognomine ad progenitores comitum de *Northheim* spectasse, quippe inter quos *Sigefridus comes* fundator monasterii Amelungesbornensis, cuius ecclesie filia est ecclesie in *Negenborn*, existit. Quæ iam supra §. 104 not. (1) demonstrauius, consuli hic fortassis haud sunt indigna.

(X) *Coxtidi* villam fuisse in pago *Sueuon*, docet nos abbas noster Saracho in R. B. et P. A. C. Huius pagi in his traditionibus nondum meminimus. Data ergo hac occasione quærimus, quam in regione ille pagus existit. Norunt plurimi, dum ad diocesin Halberstadensem olim spectasse. Id patet ex imperatoris Ludouici diplomate, quod exhibet I. G. Leuckfeld in *Antiq. Græningens.* p. 10. seqq. Quamuis enim illud diploma non sit omni exceptione maius, quia in eo annus incarnationis Christi 814 apparet, qui aliis genuinis diplomatibus ante annum 877 addi non solet, procul dubio tamen satis vetustum id diplomatis est. Nam in eo diploma antiquitatem redolet, quod pagum *Sueuon* ad diocesin Halberstadensem refert. Hoc ipsum apparet e *Chronico Halberstaden.* edito Tom. II. S. R. B. Leibnitii p. 121. In aliqua igitur episcopatus Halberstadenensis parte pagum *Sueuicum* existisse oportet. Inter pagos *Hardego* atque *Hafugo* eundem pagum *Sueuon* olim fuisse repertum, patet ex Annalibus Franc. Fuldenf. T. I. S. R. G. Freheri p. 29. vbi ad a. 852. ita loquitur auctor: *Hludouicus - Colonia*

Aaa a


pro-

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

profectus est in Saxoniam, ubi in loco, qui appellatur *Nimia* super *annem*, quem *Cornelius Tacitus* scriptor rerum a Romanis in ea gente gestarum, *Visurgim*, moderni vero *Wisuracha* vocant, habito generali conuentu, iam causas populi ad se perlatar iusto absoluit examine, quam ad se pertinentes possessiones iudiciorum gentis decreto recepit. Inde transiens per *Angros*, *Harudos*, *Suabos*, et *Holsingos*, et per mansiones singulas, prout se praeiuit opportunitas, causas populi iudicans, *Thuringiam* ingreditur, ubi apud *Erpsesfurt* habito conuentu decreuit etc. Quibus e verbis concludimus primo, regem *Hludouuicum* conuentum generalem populi habuisse in loco dicto *Nimia*, per quem designari non intelligimus *Mindam* urbem in principatu *Mindensi*. Alii sic opinantur. Designatum existimamus locum *Nime*, in *Mündensi* praefectura principatus *Göttingensis* situm, vel locum *Nimende*, ut in *Chronico* nostro *MScto* appellatur, ad *Wiseram*, postea dictum *Bursfelde*, ubi olim *Benedictinum* monasterium fuit, ob reformationem *Bursfeldensem* ordinis *D. Benedicti* clarissimum. Hoc generali conuentu dimisso et absoluto, *Hludouuicum* deinde iter suum direxit per principatum *Gotingensem* seu pagum *Logne*. Hunc *Angaria* fuisse partem, iam demonstrauimus supra, commentati ad pagum *Hardego*. Huius pagi incolae sine dubio designat auctor *Annalium* per *Harudos*. His contermina gens fuisse *Suabi*, iuxta hos egerunt *Holsingi*, id est, incolae pagi *Hafugo*. Quodsi igitur pagus *Hardego* fuit in montibus *Harzicis* atque in principatu *Halberstadensi* circa urbem *Halberstadtium* ac oppidum *Gröningam*, atque *Hafugo* pagus existit in aliqua comitatus *Mansfeldensis* parte ac *Merselburgensi* Principatu, ut iam supra demonstrauimus, tunc porro exinde sequitur, pagum *Sueuon* in aliqua principatum, *Halberstadensis* atque *Anhaltini*, parte praesto fuisse, quippe quae inter *Groningam* et *Mersaburgum* iacet. Incolae pagi illius *Sueuon* a *Widekindo* nostro *Annal.* Lib. I. p. 634. appellantur *Sueui transbadani*, ut in nostro *MScto* legitur, non vero *transalbini*, ut *Meibomiana* editio habet. Indicat *Widekindus* *Sueuos trans Badam* seu *Bodam suuium*, qui in montibus *Harzicis* ortus, et porro *Quedlinburgum*, *Groningam*, *Egelen* et *Stasfordiam* alluens, tandem ad *Nienburgum* in *Salam* mergitur. *Trans Bodam* ergo fluuium pagus *Sueuon* olim fuit repertus. Id ipsum demonstrant villae, in diplomatis eidem pago tributa, quae erant anno 941 *Osteregilum* et *Westeregilum*, id est, *Osteregelen* et *Westeregelen* ad fluuium *Bodam* in *Magdeburgico* ducatu, a. 944. *Rodigaresrode*, 959. *Bebanthorp* seu *Bebonthorp*, 978. *Haldisleuua* (an *Hildesleue*?) *Rodisborp* (an *Roderstorf* haud procul a vico *Wegeleben* in principatu *Halberstadensi*?) et *Widerisleda*, *Widersteedt* in principatu *Anhaltino*; anno 1049 *Ibersleb*, *Harsleben*; 1050 *Hoderleue* et *Qtcherleue*; 1053 *Regenlede*, *Reinstedt* non procul ab oppido *Ermsleben*; 1064 *Ratere*, *Reder* haud procul a monasterio *Ballenstedt*, et *Pichalingen*; 1073 *Asmersleuo*, *Welpesleuo* (*Welphsleben* in principatu *Anhaltino*) *Padabrunno* (*Badeborn* ad flumen dictum die *Selcke*) *Wejbolte*, *Rotbaltasburg* (an *Roderburg* non procul a vico *Egelen*?) et *Emmalestorp*; 1083 *Bathesleuo* (*Badersleben*), *Adenstedt* (*Aderstedt* inter oppida *Bernborg* et *Plortkau* in principatu *Anhaltino*) et *Turtbinge*. His villis traditiones nostrae addunt villas omnium antiquissimas, scilicet *Coxstidi*, et §. 406. *Stesforde*, *Stesforde* est procul dubio *Stasfurt*. *Coxstidi* est *Cochstedt* oppidum, in principatu *Halberstadensi* orientem versus situm, duo milliaria distans a monasterio nostro *Groninga*, positum iuxta siluam *Hakel* dictam. Hanc villam *Cochstedt* municipium fuisse *Ascaniorum* comitum, quorum posterii iam sunt serenissimi principes *Anhaltini*, refert auctor *Vindiciarum Anhaltinarum* p. 5. quem *Martinum Mislagium* quondam *Dessauiensem* Cancellarium fuisse, vulgo plerique praedicant. Quemadmodum autem haec optimo niti talo confidimus: ita non prorsus dubitamus, *Ottonem* ac *Rotgerum*, qui in villa *Coxstidi* bona quaedam tradiderunt, inter progenitores *Anhaltinorum* principum esse referendos. Cum igitur *Volcmarus* filius fuerit *Luitbarii I*, qui *Endam* *Luidolfi* ducis *Saxoniae* filiam habuit in matrimonio, *Otto* noster et *Rotgerus* fratres *Volcmari*, et filii eiusdem *Luitbarii* fuerunt. Probabile enim est, *Ottonem* nostrum ab auo suo *Oddone* comite nomen traxisse, de quo confer §. 188. Cum porro comes *Bernhardus de Plozzike*, teste diplomate *Rudolphi Halberstadensis* episcopi in *Historia Anhaltina* *Becmanni* Tom. I. p. 143. reperiundo, anno 1145 *Abbatissa* *Irmengarda* in *Chakelingen* (*Hecklingen* in principatu *Anhaltino*) in proprietatem tradiderit quatuor ecclesias in *Stasforde*, in *Aliendorp*, in *Cboeslede*, et in *Wimlingen* sitas cum omnibus eorum

per-

pertinentiis, quantum ex paterna sorte hereditatis sibi obtigerat, consentiente, et gubernaante *Adelberto*; discimus ex eo, ad *Bernbardum de Plozzike* iure hereditario bona in villis *Stesforde* et *Cboctede* pertinuisse. Quod si itaque *Bernhardus de Plozzike* originem ducit ab *Egenone I. de Conradesburg*, cuius castrum situm erat medio in principatu Anhaltino, probabilissime iste *Egenone de Conradesburg*, quem seculo X vixisse oportet, nepos illius *Otonis* fuit, qui in villa *Cochsted* quaedam largitus est ecclesiae Corbeiensis. Cum ergo vna tantum persona desit, illa verisimillime fuit *Alfricus*, qui, testante §. 406, in villa *Stesforde* in pago Sueuon partem quandam salinarum abbatiae tradidit Corbeiensis. Probat id villa *Stesforde*, probat id etiam nomen eius. Quemadmodum enim e diplomate Rudolphi episcopi patet, locum *Staruorde* ad iura spectasse comitum de Plozzike, sic probabilissimum erit, *Alueric*o, nepoti *Eginonis de Conradesburg*, nomen esse inditum ab *Alfrico* nostro, qui in eadem villa *Staruorde* bona quaedam largitus est. Stemma genealogicum comitum de Conradesburg egregie post *Eccardum* in *Historia Geneal.* p. 514 seqq. expeditiuit vir illustris *Io. Ludov. Lev. Gebhardi* in *Aquilon, Marchion.* p. 76. seqq. Quod adiungere volupe erit, additis tamen quibusdam, quae ille non habet. Eos, qui probationes quaerunt, ad librum *Gebhardi Cel.* praedictum ablegamus.



Ab anno
890vique
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 359.

Tradidit uuulfariuf pro patre suo hunoldo I famil. in *gnidun* (Y).

§. 360.

Tradidit uuariouf (Z) unam familiam in *passinchuf*.

§. 361.

De villa
Gnidun
in pago
Leri.

(Y) Villam *Gnidun* fuisse in pago *Leri*, docet nos abbas noster Saracho in præstantissimo suo *Registro Bonorum et Prov. Abb. Corb.* Pagum *Leri* fuisse in aliqua episcopatus Monasteriensis, atque Oldenburgensis comitatus parte, iam supra vidimus. Procul dubio ergo intelligitur vicus *Gnetem* seu *Knetem*, in episcopatu Monasteriensi situs non procul a terminis comitatus Oldenburgici. Ex quo momento conclusimus iam supra §. 241, *Wulfarium* atque *Hunoldum* ad progenitores Oldenburgicorum comitum spectasse.

De villa
Passin-
chus in
pago
Bukki.

(Z) *Passinchus* villa erat, testante Registro nostro sæpissime excitato, in pago *Bukki*, quem in comitatu Schaumburgico existisse, iam supra asseruimus. Designari ergo putamus vicum *Peitessen*, haud procul ab oppido Buckeburg situm. Atque ex eo colligimus, *Warinam* fuisse hoc tempore dominum in aliqua comitatus Schaumburgici parte. Huius *Warini* filiam appellare vellemus *Godilam* vxorem *Luitbariti IV.* marchionis septentrionalis, si placeret Diis, nec chronologia repugnaret. Quamvis enim *Ditmarus* p. 356. scripserit, *Godilam* fuisse ex occidentali regione oriundam, nihil tamen impedit, quo minus comitatum Schaumburgicum ad occidentalem regionem referamus. Cum enim *Lerbecius* in *Chronico Schaumburgico* Tom. I. S. R. G. Meibomii p. 497. asserat: *Adolphum e nobilibus de Santerслеue supersitem castrum Schorwenborg fundasse, et reliqua Saxonia orientali, occidentalem Saxoniam circa partes Wesera inhabitare cepisse;* probabilissime tamen eo ipso indicare voluit, comitatum Schaumburgicum ad occidentalem Saxoniam olim fuisse relatum, quemadmodum et hodie comitatus Schaumburgicus ad Westfaliam spectat. Quodsi igitur sumimus, *Godilam* prædictam fuisse *Warini* cuiusdam domini in tractu Schaumburgico filiam, et *Luitbaritium* primum genito suo nomen patris *Godile Warino* petiitum, spe rare nolumus, quempiam fore negaturum, nomen *Warini*, *Vaiwini*, *Werini* et *Werinbariti* esse vnum idemque. Hac autem ex sententia egregie confirmatur origo comitum Schaumburgicorum a Walbeccensibus. Patet enim ex eo, qua ratione *Santerslebi* domini, e quibus parens *Adolfi* fuit oriundus, bona Schaumburgica acceperint, scilicet loco dotis. Atque hoc ipsum nobis veritati magis consentaneum videtur, quam opinio *Lerbecii*, qui per *Sigeberti*, episcopi Mindensis, promotionem *Adolfum* gradum nobilitatis promeruisse asserit, fabulisque ea annumeramus, quæ idem de monte vriticarum, teutonice dicto *den Nettelenberg* profert, quem ab episcopo prædicto *Adolfum* in feudo recepisse perhibet. Eadem enim recentiori tempore excogitata sunt ad palliandam sententiam de insigniis comitum Schaumburgicorum, quæ in vrtica constituisse prædicant. Quamvis enim hodie insignia Schaumburgica, vti in scutis Lindgrauiorum *Hassæ*, ducum *Hollatiæ*, regum Danorum atque aliorum conspiciuntur, vrticam proferant, contra antiquitatem tamen eadem sic depinguntur. Habemus enim in manibus nostris duo authentica figilla antiquorum comitum Schaumburgicorum, quæ in *Historia Corbeiensi* accurate æri incisa dabimus, e quibus apparet, insignia Schaumburgicorum comitum olim non fuisse vrticam, sed rosam, quam etiam in scutis suis gessisse Walbeccenses comites, *Carolus Fridericus Dingelstedt* in *Analectis Hassiacis Kuchenbeckeri collect.* IX. p. 1. seqq. ostendit. Cum itaque primum *Ditmarus* episcopus Merseburgensis, qui ipse origine Walbeccensis erat, p. 335. asserat, *Curtem Sandersleue ad Luitbaritium* Walbeccensem spectasse, atque deinde *H. Meibomius* T. I. S. R. G. p. 522. innuat, *Adolfum Santerslebi*, dum dioccesin Magdeburgensem reliquit, partem bonorum suorum nobilibus dominis de Dreileue titulo feudali possidendam reliquisse, præterea comites Schaumburgici in eodem tractu, qui olim pagus *Derlingi* appellabatur, et in

§. 361.

et gubernante Corbeiam Godescalco.

Tradidit dendi pro se unam familiam in *aldantorpe* (a) et berta pro fe et coniuge suo uualdered et filia sua ghifla in *sekbiki* (b) in *flehtunum* (c) in *berga* (d) in *hemenhus* (e) in *altantorpe* in *fullifhus* in *battan-*

in eo Walbecenses domini eorumque agnati bona quaedam hereditaria tenuerint, de quibus alio tempore pluribus exponam, neminem inficari posse censemus, comites Schaumburgicos a Walbecensibus manasse.

- (a) Villam *Aldantorpe* Saracho abbas in *Registro Bonorum et Proventuum Abbatie Corbeiensis* appellat *Altantorpe*, et indicat eum in *pago Suilbergi* existisse. Cum itaque pagus *Suilbergi* in comitatu *Dasseliensi* ac *Grubenhagico* ducatu fuerit situs, eapropter arbitramur, villam *Aldantorpe* esse *Olendorp vicum*, olim *haud procul* al *oppido Einbeck* in eodem *Principatu Grubenhagico* conspicuum. De villa *Aldantorpe* in *pago Suilbergi*.
- (b) *Sekbiki* villam idem Saracho nominat *Seebiet*, et *pago* tribuit *Hrittiga*. Cum itaque pagus *Hrittiga* seu *Rittiga* olim existerit circa urbem *Northeim* in *principatu Gotingensi* et *Grubenhagico*, villam *Sekbiki* vicum *Sebexen*, in *praefectura Westerhof*, esse putamus, locum *Principatus Calenbergici*. De villa *Sekbiki* in *pago Hrittiga*.
- (c) *Flehtunum* fuisse *marcam*, discimus e *praestantissimo* nostro *Registro*. Cum igitur nullum diploma, hactenus in lucem emissum, illius *marcae* mentionem iniiciat, intermittere non possumus, quin mentem nostram de eadem *marca* aperiamus. *Marcum* seu *marcam* indicem esse termini scilicet alicuius *provinciae* suae maioris suae minoris, iam saepe monuimus. Porro *marcis* aliquando nomina imposita sunt, a pagis petita, uti *Suilbergi marcus*, *Tildessen marcus*, atque *Avingbo marcus* ostendunt. Probabile ergo nobis videtur, *Flehtunum* *marcam* nomen accepisse a *Fleithi* pago. Quodsi autem *Dendi* ac *Berta* in pagis contiguis *Hlitzgo*, *Hrittiga* et *Suilbergi* reliqua sua bona tradidere, verisimillimum inde reddi censemus, inter *Billurbeke*, quae ad pagum *Fleithi*, atque inter *Haberobthusen*, nunc *Wibrechtshufen*, nisi *Heerhufen*, quae ad pagum *Hlitzgo* refertur, olim existisse *Flehtunum* *marcam*, inprimis eo quod eadem in regione *abbatia* nostra quondam bona quaedam possedit. De his in *Clientela Corbeiensi* pluribus. Confer supra dicta §. 127. not. (s). De *marca* *Flehtunum*.
- (d) *Berga* erat in *pago Hrittiga*, diligentissimo nostro abbate teste, eademque nullus alius vicus fuisse videtur, quam *Bercke* ad *fluuium*, dictum *die Rubme*, supra *Northeimium* situs. De villa *Berga* in *pago Hrittiga*.
- (e) Villam *Hemenbus* spectasse ad pagum *Suilbergi*, docet nos abbas noster Saracho, et verisimillime intelligit designari villam *Emisen* in ducatu *Grubenhagico* in *praefectura Rotenkirchen*, non procul a vico *Odasen*. In eodem *pago Suilbergi* praeterea erant praesto, eodem docente abbate, villae *Sullifhus* atque *Hildivertesun*. *Sullifhus* postea dicta est *Sulisen* seu *Selesen* hodie desolata, olim reperta in eodem tractu comitatus *Dasseliensis*, in qua adhuc conspicitur turris dicta *der Sulser Thurn*. *Hildivertesun* vero est *Hildivardessen* villa, quae villa *Luthardessen* proxima erat, vti testatur diploma *Sigfridi* archiepiscopi *Moguntini*, quod vide in *Addendis* num. 372. De villa *Luthardessen* in *pago Suilbergi*.

Situm vero villae *Luthardessen* indagare possumus e litteris sequentibus, quas ab amico nobiscum communicatas, e membrana adiungere volupe erit.

Q In nomine scæ et indiuiduæ trinitatis *Heinricus* diuina fauente clementia rex. Quotiens ex sumptibus donis & honoribus diuinitus nobis collatis commodum et honorem p̄stamus eccl̄iis dei & sc̄is ab eo honoratis scimus & indubitanter credimus longam & stabilem p̄sentium bonorum tranquillitatem benigno studio & deuoto animo assequi nos & comparare & mansura atq. æterna labentibus & deficientibus huius seculi

Ab anno
890 usque
900 re-
gnante
Arnolfo

seculi rebus congregare & thesaurizare. Proinde omnibus Xpi nrisq. fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse uolumus qualiter rogatu & admonitione dilectissime genitricis nre Agnetis imperatricis auguste nec non continuo ac fidei seruitio Hezilonis Hildenesheimensis epi excitati ad promerenda beatissime genitricis dei & perpetue uirginis marie beata suffragia corde & animo exurgentes tum consensu & fauore Egilberti Mundensis epi & dilecte sororis nre Adelheide Ganderheimensis abbatisse nec non & Immiconis Padelbrunnensis epi & Saraebonis Corbeiensis abbatif consentiente & confaunte Otone Bauuorum duce ceterisque omnibus quorum pda & possessiones site erant intra eos terminos quos scribi iubemus quoddam forestum & bannum eidem ecclie Hildenesheimensi & p'dicto ep'o suisq. successoribus in reliquum habendum & perpetualiter habendum concessimus & nra regali potestate condonauimus inter istos terminos situm a ponte fluiui Lome qui porrigitur per medium amnem ad villam Laide per uiam rectam que tendit Choppenbrukke de Choppenbrukke uia recta usq. Batfingebusen de Batfingebusen uia recta usque Ascherebusen de Ascherebusen uia recta ad Goltbechi de Goltbechi uia recta ad Pretensstein de Pretensstein uia recta ad Makkenbusen de Makkenbusen uia recta ad Luithardessen de Luithardessen uia recta ad Wimetbusen de Wimetbusen (nunc Wenzel) uia recta ad pontem Grene rursum de ponte illo et medio alueo eundem fluiuium Loinam deorsum usq. ad pontem Laide. Jubentes igitur statuimus & statuentes iubemus ut infra p'scriptos terminos nulla nri regni maior minorue persona uenandi ius & potestatem sibi uendicare absq. consensu & licentia p'dicti epi & successorum eius siue eorumq. prouisores eiusdem foresti ab eis constituti fuerint p'sumat. Quod si aliquis huius p'cepti nri temerarius transgressor exstiterit uelut regalis contemptor decreti iusti sententie iudicii subiacebit & debita pro corrupto banno nro pecunia scilicet sexaginta solidos de singulis feris persoluat. Et ut hec nre regalis successionis donationis & confirmationis auctoritas per tempora successura stabilis & inconuulsa permaneat. hanc paginam nre uoluntatis & facti indicem inde conscribi & sigilli nri impressione iussimus insigniri.

Signum domni



Heinrici quarti regis

Frithericus cancellarius uice Sigefridi archicancellarii recognoui.

Data VII. id. martii anno dnice incarnationis MLXII. indict. XIII. anno autem ordinationis domni Heinrici III regis VIII regni uero VI uite XII. actum Goslare in dei nomine feliciter amen.

Ex his litteris apparet, villam Luithardessen reperiri inter vicum Mackensen in comitatu Dasselienis et intra p'fecturam Hundesrück situm, atque inter vicos Wensel et Grene in Principatu Wolferbuttelano. Hoc in tractu uisitur villa Luthorst seu Luthasen, cui itaque contermina fuit villa Hildtwerdesun. Cum autem supra §. 211. not. (E) dixerimus, nobiles dominos de Homborg dynastiam Luthardesianam ab ecclesia Corbeiensi tenuisse ex feudo, operæ pretium erit, maioris

battanbus (f) in *halkersun* (g) in *haberehtshusen* et in *hildeuuerthesun* in
his locis tradidit houaf XXXX mancipia LVIII et in uillis loca XXXI.

et guber-
nante
Corbe-
iam
§. 362. Gode-
scalco.

ioris illustrationis ergo sequentes e membrana adiungere tabulas, quibus in *Cl-entela Corbeiensis* plures alias addere volumus:

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Nos *Bodo in Homburg* dominus. recognoscimus, quod *conradus* dictus *de Luthardessen* curiam

quandam sitam in eadem villa. et quorū māfos sitos in villa *Deddenhusen*. cum proprietate et omnibus bonorum eorundem pertinentiis. in uillis et extra uillas. in areis. ortis. pratis cum consensu pariter et assensu uxoris sue *elisabeth* vendidit dño abbati et conuentui ecclie in *Amelungesborne*. pro sexaginta marcis examinati argenti. proprie quiete et libere perpetuo possidenda. que bona idem *Conradus*. ut tenebatur. coram *gograuio illius domini* constituto in iudicio suo. et coram omnibus eidem *gograuio* astantibus resignauit libere. cum proprietate et omni iure. ad manus seu potestatem ecclie p̄sibate. verum et iustum warandum se promittens bonorum eorundem. sed et ipse *gograuius*. recepto ab ecclia iure suo pecuniario. ipsis bonis ibidem pacem indixit. secundum morem et iuris consuetudinem. In cuius venditionis et resignationis testimonium dedimus presens scriptum. testes sunt *Lippoldus hoie*. *Conradus de Amelungessen*. *heinemannus*. et *Conradus fratres dicti dapiferi*. *henricus de Wenthusen*. *hermannus de Dasle*. *henricus Trube*. *Fredericus de Warmestorp*. milites. item *Arnoldus de hauerfuorde*. *Ernestus de Embera*. *Bruno de Rodenberge*. *Conradus de Pifcina*. famuli et alii quam plures. Datum et actum in opido n̄ro *Alden-*

dorpe anno ab incarnatione dñi M. CC. LXXX. V. VI. id iunii.

(f) *Battanbus* et *Haberehtshusen* uilla tribuuntur a *Sarachone* abbate *pago Hlifsigo*. De uillis quem in regione urbis *Osterode* fuisse repertum, iam supra diximus. Probabilissimum ergo nobis uidetur, designari vicum *Badenhusen*, vulgo *Bahnhusen*, inter *Gittelde* atque *Osterode*, atque vicum *Heerhusen* vix iter dimidiæ horæ ab oppido *Sefen* situm, in quo domini de *Koch* bona sua possident. Locus uterque subest *Wolferbuttelani* Principatus præfecturæ *Stauffenburgensi* & *Sefensi*. Si ergo certum esset, castrum *Stauffenburg* iam tempore *Saxonicorum* cæsarum existisse, etiam illud verisimillime ad eundem pagum *Hlifsigo* spectasset, nisi malles id ad *Hartzicos* montes referre, qui olim *Saxoniam* et *Thuringiam* diuidebant. Videtur castrum *Stauffenburg* sæculo XII. exstructum.

(g) *Halkersun* uillam in *pago* fuisse *Hrittiga*, docet nos abbas *Saracho* in suo Registro De uilla B. et P. A. Corb. An vero eadem uilla sit vicus *Hillersen* in dynastia *Hardenberg*, id in medio relinquimus. Videtur subesse *Ahlshufen*, vicus præfecturæ *Stauffenburg* in Principatu *Wolferbuttelano*, *Northemium* inter et *Gandershemium* æquali intervallo situs. Igitur si situm omnium horum locorum, atque in illis largissime tradita bona nobis ante oculos ponimus, eam in cogitationem deduci debemus, ut arbitremur, *Bertam* ac *Dendi* seu *Dedonem* fuisse homines et locupletissimos et nobilissimos, et probabilissime referendos inter progenitores vel *Katelenburgicorum* vel *Schartzfeldensium* comitum. Illi comitatum suum habuere circa castrum *Katlenburg*, ad flumen dictum *die Rume*, tribus milliaribus et quod excurrit discretum ab vrbe *Einbeca*. *Schartzfeldenses* autem seu *Scarfeldenses*, a quibus et comites de *Lutterberg* descendunt, tenuerunt comitatum suum circa *Scarfeld* et *Lutterberg*, notissima castra in montibus *Hartzicis*, haud procul ab oppido *Osterode*. *Scarfelde* castrum iam existisse circa annum 1131, docent nos litteræ cæsarum *Lotharii*, quas obliuioni æternæ eripuisse virum quandam celeberrimum perhibet eruditissimus *Dn. I. L. L. Gebhardi in Aquilon. Marcion. p. 68.*

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 362.

Tradidit eilgrim pro filio suo adalbodo XV. iugera et I iurnalem in
heianbus (h).

§. 363.

Tradidit uuidulo pro uxore sua frithurun (i) unam familiam in
uualiereshus.

§. 364.

quas vero iam exhibuerat Lunigius in dem *Reichs-Archiv Spicil. Eccles. P. I.* im Anhang p. 32. seq. e quibus patet, cæsarem Lotharium archiepiscopo Magdeburgensi tradidisse abbatiam *Alisleue* castrumque *Scharzfeld* in permutationem ad vsum regni suscepisse. Quemadmodum vero speramus, neminem fore, qui credet, castrum *Scartsfeldense* demum anno 1131 esse fundatum: ita, deo volente, in *Clientela nostra Corbeienſi* e schedis abbatis Corbeienſis Erkenberti, atque ex ipſorum comitum de *Lutterberg* litteris ostendemus, iam ante annum 1113 progenitores comitum, de *Lutterberg* dictorum, amplissima prædia tenuisse ex beneficio ecclesiæ Corbeienſis, quorum feudorum originem hoc in nostro §. 361. deprehendi omnino putamus. Interim confer supra §. 112, et infra §. 437. obuia.

De villa
Heianhus
in pago
Tilichi.

(h) *Heianbus* villa erat, nostro testante Registro, in pago *Tilichi*. Sine dubio intelligitur villa *Heinſen* ad Wiseram in præfectura Polle, duobus milliariibus sita a Corbeia nostra. *Eilgrim*, qui in eadem villa bona hereditaria tradidit, probabilissime ad Brunonianam spectauit familiam. Cum enim ille filium habuerit nomine *Adalbodone*, in mentem venit *Adalbodu*, quem filium *Tbiodgert* comitis, et nepotem *Brunonis* ducis fuisse, statuimus. Si ergo fumamus, *Eilgrimum* fuisse filium vel *Albmeri* vel *Magenhardi*, qui in villa *Boffeshus* (in qua et *Adalbodu* quædam tradiderat) et in villa *Alberteshus* seu *Albaxen*, quæ a vico *Heinſen*, si per interiacentes montes iter dirigere posses, non procul abest, bona quædam largiti sunt; *Eilgrimus* procul dubio filio suo nomen dedisset, ab auo suo *Adalbodone* petiit. Fortassis ille *Adalbodo* vltimus huius progeniei fuit: et bona eius, in hac regione sita, peruenere ad eius consanguineos, progenitores scilicet *Euersteinenſium* comitum.


De villa
Waliere-
shus
in pago
Heſſi Sa-
xonico.

(i) Villam *Waliereſhus* refert abbas noster Saracho in suo Registro ad pagum *Heſſi Saxonicum*. Indubie designat vicum, dictum hodie *Wulmersen*, haud procul ab oppido *Helmershufen* situm ad *Dimolam*. Nobiles domini, de *Stockhufen* dicti, in eodem loco arcem nobilem atque alia bona possident. Cum autem traditor familie in *Waliereſhus* appelletur *Widulo* eiusque vxor *Frithurun* seu *Fritheruna*, non immerito quaeritur, ad quamnam familiam probabiliter referendus sit *Widulo* seu *uuido* iste, hoc ipsum intactum non relinquemus rati, eum verisimilime ad gentem Brunonianam esse referendum. Cum enim iam supra demonstrauerimus, in eadem regione possedisse bona hereditaria Brunonianam stirpem, et inprimis progenitores nobilium dominorum de *Sconenberg*, *Widulo* noster ad aliam familiam referendus non videtur. Villa enim *Waliereſhus* eadem est, quæ in *Vita Meinweri* T. I. *Leibn.* p. 538. seq. nominatur *Waliereſſun*, in qua tres sorores *Bosan*, *Christina* atque *Ebbican*, quas comitis *Luidolfi* filias fuisse supra §. 104. not. (n) statuimus, bona quædam ecclesiæ *Paderbornensi* tradiderunt. Cum igitur dicti comitis *Luidolfi* sorores fuerint *Frederuna* et *Fritheruna*, probabiliter ita dictæ a propatruo sui *Marcwardi* vxore *Fritheruna*, *Widulo* fuisse videtur frater *Marcwardi*, nepotis *Luidolfi* Saxonie ducis, *Widulonis* et *Witilonis* nomen esse vnum idemque, neminem negabit. *Witilo* ergo, quem, teste diplomate *Conradino* supra §. 293. adducto, deprehendimus possessorem prædii *Sannabiki* in pago *Huuetigo*, ad hanc quoque familiam videtur spectasse. Quamuis enim quis perhibere posset, eundem *Witilonem* potius referendum esse ad *Widikindeam* stirpem, vtpote prædia sua in pago *Huuetigo* tenentem; dicere tamen licet, *Witilonis* vxorem *Odan*, quippe cuius petitione et collaudatione cæsar prædium *Sannabiki* ad imperialem manum recepit, atque pro eo prædium

dium Zuerici seu Zwergen in dynastia Defenberg *Witiloni* tradidit, fuisse stirpis et guber-
 Widikindeæ, ac prædium Sannanibiki marito suo dotis loco attulisse. Probabi-
 liter illa permutatio facta est eo, quod prædium Zwergen reliquis bonis *Witilo-*
ni propius erat situm, quam Sandebeck. Plura alia bona quam Zwergam possedisse *Witilo-*
ni, inficiari non licet. Quantum ergo e situ locorum ac nominum simi-
 litudine colligimus, verisimile fit, *Witilonem* fuisse filium comitis *Marcwardi*.
 Probabile enim nobis videtur, comitem *Marcwardum* filio suo nomen indidisse,
 a patruo suo petum, et, si id porro concoquere possis, statuere quoque libet,
Udonem comitem pagi Himmerfeldun fuisse fratrem *Marcwardi*. De illo mentio-
 nem faciunt litteræ sequentes, quas e membrana huc traicere libet. En illas.

Q In nomine sc̄e et indiuidue trinitatis. Heinricus diuina fauente
 clementia romanorum imperator augustus, nouerit omnium dei fide-
 lium nr̄orumq. tam p̄sentium quam et futurorum industria qualiter
 nos interuentu dilecte coniugis nr̄e *chunigunde* uidelicet imperatricis
 auguste fideliumq. nr̄orum *popponis* treuirensis archiepi *erchanaldi*
 maguntini archiepi *euerhardi* bauenbergensis epi *adelbaldi* traiectensis
 epi item *popponis* abbatif uultensif *godefridi* ducif *bernhardi* ducif *bece-*
lini comitif ecclie paterbrunnensis, cui uenera. p̄est ep̄f meinuer-
 cus nr̄e uidelicet seruitutif paratissimus sub honore sc̄e dei genitricif
 marie sc̄e, martyrif kiliani nec non et beatissimi confessorif liborii
 epi constructe atq. dedicate tale pdium quale *uilla* nobis dedit per
 manum et consensum coniugis et aduocati sui *ottonis* in loco *siburgo-*
busum nominato in comitatu *udonis* comitif in pago *hemeruel dun* cum
 omnibus pertinentiis suis possessionibus mancipiis utriusq. sexus agrif
 et edificif terrif cultif et incultif aquis aquarumq. decursibus pratif
 pascuis siue compascuis molendinis piscationibus siluif uiif et inuiif
 cunctisq. quesitif et inquirendis in proprium iure perenni tradidimus.
 Et ut hec traditio p̄cepti nostri firma et inconuulsa permaneat hanc
 paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nr̄i impres-
 sione subter bullari iussimus.

Signum domni



heinrici romano-
 rum inuictissimi
 imperatoris au-
 gusti.

Guntherus cancellarius uice erchanaldi archicappellani recognouit.

Data idibus aprilif indiēt. I. anno dñice incarnat. M. XVIII. anno.
 uero domni heinrici secundi regnantif XVII. imperii autem V. actum
 curtifi nouiamago.

In hoc diplomate *Willi*, *Otonis* vxor, ad familiam *Sconenbergensem* referenda,
 atque *Otto* ad *Euersteinensem* gentem spectasse, uidetur, fortasse frater *Conradi*
 comitis.

Bbb b

Ab anno
890 vsque
900 re-
gnante
Arnolfo

§. 364.

Tradidit bernhardus pro se et pro uxore sua uuendilmold II familias
in *iustinuelde* et in *claige* (k).

§. 365.

Tradidit seuuard pro uualdmanno (1) XXIII iugera et I iurnalem
in *aldanthorpe*.

§. 366.

De villis
*Iustinu-
uelde* et
Claige.

(k) *Iustinuelde* et *Claige* villæ in nostro non reperiuntur Registro. Latet ergo me-
situs, et ignoro, in quam prouincia illæ quondam exstiterint.

De villa
*Aldan-
thorpe*
in pago
Suilbergi.

(1) *Aldanthorpe* villa erat in pago *Suilbergi*, Sarachone nostro teste. Probabilissime
intelligitur vicus *Olendorp*, hodie dictus *Marckolendorp* situs in præfectura *Hun-
desrück* in *Hildesien* episcopatus terris. Ad tractum comitum, de *Dassel* dicto-
rum, eundem vicum olim spectasse, comprobamus e literis abbatis *Corbeien-
sis*, *Erkenberti*, sequentibus, quas e membrana producimus:

C In nomine sc̄e et indiuidue trinitatis. *Erkenbertus* dei gratia *Cor-
beien* abbas presentibus atq. futuris etate futura superuenturis.
Notum esse uolumus, quoniam temporibus n̄ris per *uicarium* meum
Xp̄inum elemosinam monasterii ad auxiliem itaq. ipse *Xp̄inus* qua-
tuor talentis a quatuor fratribus *Reimberto* *Eremfrido* *Bertholdo* *Ra-
dolfo*, assentientibus iustis eorum heredibus, in *Crymmenhusen* aream
unam XL iugera cum omni utilitate edificii pascuis siluis aquis aqua-
rumq. decursibus, unde prefati fratres consentu heredum suorum III.
nonas maii traditionem manu sua more Saxonico in presentia n̄ri &
aduocati fideliumq. n̄rorum coram omni congregatione fecerunt in
monasterio n̄ro ad reliquias sc̄orum martirum *Stephani* *Viti* & *Iustini*,
& ego firmaui iure meo ad domum elemosinariam coram his testibus.
Sigfrido comite & aduocato. *Widikindo* uiceaduocato. *Thietmaro* li-
bero. *Adelrado*. *Gerberto*. *Etelino*. *Annone*. *erphaeldo*. *habo-
ne*. *Waldrico* camerario. *Waldrico* pincerna. item *Waldrico* pin-
cerna. *Godescalco* dapifero. *heriboldo* p̄tore urbis. *Horico* aliisq.

quam plurimis. anno d̄ni M. C. XVI. actum & confirmatum. Tra-
didit quoq. hortatu p̄fati *Xp̄ini* quedam nobilis femina *hoburg* ad al-
tare sc̄orum martirum p̄dictorum pro salute sua omnisq. sue parentele.
collaudantibus herede eius *Reinbardo* & *uormundo* suo ortomaro in
Crymmenhusen aream II. mansos III. in *Eilenhusen* aream II mansos duos.
in *Regildinghusen* aream I. mansu I. cum omni utilitate in edificii
agris pratibus aquis aquarumq. decursibus. & medietate molendini in
Crymmenhusen. que p̄dia sicut priora concessa ad elemosinam mona-
sterii & domna *Hoburga* p̄bendam omni tempore uite sue donauit an-

no d̄ni M. C. XVIII. II. kl. ianuarii aduocato *Sigfrido* coram his
testibus. *Adelrado*. *heriboldo*. *Hildeberno*. *Gerberto*. *Horico*
salsone. *Wern*. *Eilhardo*. *Xp̄ino*. *Etelino*. *Reinhero*. *habone*. *Go-
descalco*. & p̄nominatis *Reinhero* ortomaro. *hugone*. Confirmatum
in placito *Reinboldi* in cuius comitatu eadem p̄dia sita sunt primo iux-
ta *oldendorp* coram his testibus *Unicone*. *heremanno*. *Wazzone*.
Etelino. *Barawardo*. *Haoldo*. *Reniggero*. *Walberto*. *Wagone*.
Helmwigo. *Wigmanno* aliisque innumeris diuersis conditionis &
etatis, item quoq. ipse comes secundo ipsam traditionem regio banno
confirmauit in alio placito iuxta *Oldendorp* ubi omnes sui comitatus
homines

§. 366.

Tradidit aegilgrim pro hofed LX iugera et unum iurnalem
in brecu (m).

et gubere
nante
Corbe-
iam
Gode-
scalco,

§. 367.

homines auditores & testes erant. hec ut inconuulsa omni tempore
maneant has testamentales litteras sigillo sci Viti patroni nri muni-
uimus.

signum sci uiti



Sigillum alterum vide in
Tab. I. num. 8.

In hoc diplomate primum memoratur villa *Crymmenbusen*. Hæc est *Crimmen-
menfen*, cuius ecclesia filia est ecclesie in Ellensen sub præfectura Hundesfrück,
deinde villa *Eilenbusen* est Ellensen, cuius ecclesia itidem filia est ecclesie obuiaz
in Ellensen vico, vix iter dimidii milliarii ab oppido Dassel sito, denique *Regil-
dingbusen* villa est Reilingehusen ad fluium, dictum Ilme, qui alluit oppidum
prædictum Dassel ac infra Embecam in Leinam se exonerat. Cum itaque hæc
villæ omnes in medietullo comitatus Dasselienfis iaceant, neminem in dubium
id vocaturum censemus, *Reinoldum comitem*, cuius in comitatu illæ fuerunt anno
1119, ad progenitores comitum de Dassel spectasse. Atque eandem ob causam
putamus, per villam *Oldendorp*, iuxta quam comes *Reinoldus* placita sua habuit,
nullum designari alium vicum, nisi *Oldendorp*, locum comitatus Dasselienfis,
hodie dictum Marcoldendorp. Placitum, quod iam anno 1119 iuxta villam *Olden-
dorp* habuit comes *Reinoldus*, adhuc in vsu erat tempore Ioh. Letzneri, qui in
Chronico Dasselienfi Lib. VII. p. 128. refert, iudicium prouinciale in vico Marcol-
dendorp quotannis fuisse habitum, atque ad illud omnes comitatus Dasselien-
fis homines esse citatos. Quodsi autem vicus *Oldendorp* ad iura spectauit comi-
tum de Dassel, *Sewardum* seu *Sifridum*, qui in eadem villa bona quædam tra-
didit ecclesie Corbeienfi, ad progenitores comitis *Reinoldi* referre volumus;
cum porro *Reinoldus* ille in aliis diplomatibus nostris appelletur comes de Daf-
fila, et frater *Sigefridi comitis* atque aduocati Corbeienfis, qui sine dubio e Nort-
heimenfibz fuit exortus comitibus, dubitare non possumus, Dasselienfes et Nort-
heimenfes comites fuisse vnus eiusdemque originis.

- (m) Villa *Brecu* ab abbate nostro Sarachone refertur ad pagum *Thiadmelli*. Hunc De villa
in comitatu Lippico exstitisse, iam supra vidimus. Intelligimus ergo, de Brecu
notari vicum *Brack*, in eodem comitatu inter oppida *Blomberg* et *Lemgo* in pago
situm. Ille autem vicus probe discernendus est primum a villis 1) *Bracke*, qua- Thiad-
rum altera in præfectura *Ehrenburg*, atque altera 2) in præfectura *Siedenburg* melli,
in comitatu *Hojano* reperitur; deinde a 3) *Brackelow* in præfectura *Wölpe*;
post a 4) *Bracha* in diocesi *Mindensi*; deinde a 5) *Bracu* in pago *Huuetigo*,
quod prædium seu *vorewere* erat, ad curtem *Luthide* spectans, tum ad extre-
mum a villa 6) *Breka* in pago *Wikanauelde*, quæ vicus *Brack* est haud procul
ab oppido *Stadoldendorp*, quondam in dominio *Homburgico*, iam autem in Prin-
cipatu *Wolferbuttelensi*, obuius. Quis *Aegilgrim* et *Hofed* fuerint, qui in villa
Brecu quædam tradidere, non constat. Potuerunt autem esse, quantum con-
iectura auguramur, fratres *Harboldi*, filii *Hofedi*, quem stirpis *Brunonianz*
fuisse statuimus, de quibus euoluas velim *Tabulam genealogicam eiusdem gen-
tis*,
Bbb b 2

Ab anno
890 vsque
900. re-
gnante
Arnolfo
et guber-
nante
Corbe-
iam
Gode-
scalco

tis, supra §. 104. adductam. Haaldinos comites ex vno germine cum imperatoribus Saxonis ortos esse, tam verum esse videtur, quam id, quod nemo refellere poterit. Quum enim Widekindus Corbeiensis in nostro Manuscripto Annalium Lib. II. *Haaldum, qui super cubiculum regis erat, appellet nobilissimum et regi consanguinitate coniunctum*, stupidus sit, qui non intelligat, eundem *Haaldum* fuisse consanguineum cæsaris Ottonis M. Iam scire auemus, quomodo istum *Haaldum* cum familia Ottoniana connectere libeat, si nostra sententia tibi minus placuerit. Ab *Haaldo* comite igitur, cuius comitatus erat in locis Linga (Lemgö), Thiatmali (Detmold) etc. comites Lippiacos originem suam deducere, absolum non esse suspicamur. Ita enim cum Reufnero in Auctario Oper. Geneal. rectissime statui posse arbitramur, *domum Lippiensem iam inde a Caroli M. temporibus in Westfalorum Saxonum nobilitate illa primariam, quæ nobilium dominorum appellata nomine, etiam reges dare Saxonum belli tempore consueverit, et post, inaugurantibus Francis, comitum assumserit titulum, loco et munere semper illustri floruisse*. Cui assentire videtur Io. Pideritius in *Chronico comitatus Lippiensis*, qui vero neque nomen fatoris comitum Lippiensium, qui tempore Caroli M. vixerit, edere, neque iustam graduum seriem dare et expromere potuit. Anonymi cuiusdam *Chronicon Waldeccense* edidit b. D. Simon Fridericus Hahnus, Historiarum in Academia Iulia Professor, Tom. I. Collectionis Monumentorum p. 803. sqq. At initia Anonymus fabulis et hastiludiis Rixneri superstruxit. Non vacat nugas repetere nullo argumento historico eoque solido nitentes. Diplomatum fides hic est sollicitanda, ut veriora prodeant in lucem, serenissimis Principibus atque ill. Comitibus digna et ad res ipsas congruentia. Cæpimus talem ordiri. Qui pluribus instructi sunt monumentis, eorum est, eam pertexere & hiatus explere.



TRA-